GERDES, Daniel (2)

FLORILEGIUM HISTORICO-CRITICUM LIBRORUM RARIORUM

CUI

Multa ſimul ſcitu jucunda adſperguntur, Hiſtoriam omnem Litterariam, & cumprimis Reformationis Eccleſiaſticam Illuſtrantia.

Editio II. auctior longè atque emendatior.



GRONINGÆ & BREMÆ,

Apud & { HAJ. SPANDAW, G. WILH. RUMP, } Bibliopolas.

1747.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viro plurimum
Reverendo & Clarissimo
JOHAN. VOGTIO
Ecclesiæ Cathedralis
quæ est ad D. *Petri*,
Bremensis,
Pastori fidelissimo Seniori,
Theologo,
atque Litteratori,
inter Fratres *Evangelico-Lutheranos*
perreximio,
suoque in studiis quondam
Juvenilibus
Commilitoni strenuo,
quique
non unquam intercisuram
Sibi
cum per alia præclara
ingenii
Monumenta

tum

tum per editum
ante decennium
Librorum Rariorum
Catalogum
Hiſtorico-Criticum
multifaria
eruditione
refertiſſimum,
conciliavit Nominis celebri-
tatem:
Hoc *Florilegium*
altera vice, tanquam quoddam
Spicilegium poſt ampliſſimam
Meſſem in ejus *Catalogo* ex-
hibitam, collectum,
in æſtimationis ſignum
& amicitiæ teſſeram
offert ac dedicat.

DANIEL GERDES
Th. D. & P. P. in Univer-
ſit. Groning-Omlandica.

LEC-

LECTORI BIBLOPHILO SALUTEM.

QUod ſolenne eſt ſcriptoribus in librorum *Prooemio*, de ratione inſtituti ac ſcopo ſcriptionis præfari, &, qua data anſa, ad hæc illave conſcribendum pervenerint, id à me quoque cumprimis exquiri, præſentem libellum ad uſus publicos iterum paranti, intelligo; atque operæ pretium me eſſe facturum exiſtimavi, ſi huic mori morem gererem.

Septennium & quod ultra eſt jam effluxit, quod ad plurimum Rev. & Doctiſſimi *Johannis* VOGTII Catalogum *librorum rariorum* tenuia quædam annotarem ſupplementa, quæ inſtar

ſpicilegii cujusdam videri poſſent poſt uberrimam ejus *meſſem* collecti; Atque edidi tum quoque paucorum foliorum libellum, non tantummodo *Miscellaneis Groninganis* inſertum, ſed & ſeparatim editum, in id unicè directum, ut Biblophilorum curioſitati ſi pote ſalivam moverem, atque eorum expiscarer animum in hæc literarum ſtudia proclivem.

Occurrit autem votis meis fortuna, largius etiam quam optaveram; Eſt enim is libellus non modo libenter acceptus, atque avidè coëmtus, verum etiam, non defuerunt Viri Docti, qui publicè privatimque eam quam ei impenderam induſtriam collaudarunt, ſuamque

que teſtati fuerunt benevolentiam;

Interea tamen, ut fieri ſolet in hoc ſtudiorum genere, novæ ſe nobis etiam non opinantibus inde ab eo tempore ingerunt obſervationes, atque aliorum librorum rariorum notitia noſtram excitabat curioſitatem, diligentiam verò eos ſcripto conſignandi atque ad prioris editionis interſtinctam chartam annotandi exacuebat. Quò effectum eſt, ut in aliquem, abundantiorem certè atque copioſiorem quam prius credideram, hæ excreverint obſervationes noſtræ numerum, qui jam *quingenteſimum* ferme accedit:

Has itaque benevole Lector,
 cum

cum prior illa libelli tenuioris Editio, ſe planè jam oculis ſubduxerit nec acquiri amplius posſit, Obſervationes adeò locupletatas, Tibi nunc exhibemus atque offerimus; Quod munusculum, quantulumcumque illud ſit, Te pro tua humanitate non gravate accepturum confido.

Eſt verò etiam, qui ſpeciatim huic noſtræ ſtimulum addidit induſtriæ, Vir Eximius, & qui inter Theologos Helvetios non infimum occupat locum, *Melchior* HURTERUS, Theologus *Scaphuſanus*, quocum jam inde à viginti quinque annis mihi, cum familiaritas intercedit, tum culta eſt amicitia. Is enim, qua eſt in elegantiores quoque literas & eru-

eruditionem variam propensione, peregregias illas mihi jam ante hoc quinquennium & quod superest, suppeditavit *Symbolas*, quibus nunc demum hoc Opusculum tanquam totidem flosculis vides exornatum, quasque sub literis M. H. à reliquis distinguere, atque ne situ ac oblivione perirent, efficere volui.

Bibliotheca, ad cujus, tanquam quæ rarioribus libris instructissima fuit, indicem, plus semel ablegavimus Lectorem, est Viri Amplissimi *Jani* ALBINI Juris utriusque Doctoris, *Dordraceni*, quæ Anno 1696. publicè est divendita; Neque sanè ego, quæ pro ratione magnitudinis, præstantioribus pariter atque rarioribus in omni disciplinarum ge-

nere libris fuerit inſtructa, me unquam ullam perluſtraſſe recordor.

Cæterum, nullo modo diffiteor, à raritate libri cujusdam non oppidò fidum certumve peti argumentum præſtantiæ ejusdem, quin imò, quod *Jo.* CLERICUS rectè annotavit in præfat. ad *Artem Criticam*, raros libros rarò eſſe præſtantes, atque ob id ipſum raros fieri ſolere, quod ſunt minus eruditè ſcripti, ſicque non ſine ratione Doctiſſimos *Bibliothecæ Anglicæ* Scriptores ſeverius exagitare eos, qui libros tantum raris conquirendis inhiant, eòsque ſtudioſiſſimè ſibi comparant.

Quid? quod illud quoque facillimè largiar, ipſam raritatis no-

notionem hactenus non ita esse determinatam inter viros Doctos, ut non multum secum vehat ambiguitatis, & multis sententiarum discidiis ansam subministrare possit, cum, quod uni rarum dicitur ac creditur opusculum, id non semel alteri videri queat non adeo insolens, & inter ipsos quoque rariores libros certi dentur nec ii tamen accuratè satis definiti raritatis gradus.

Ne jam de variis Rariorum librorum classibus quicquam dicamus, cum jam rectè sit observatum in *conspectu rei litterariæ* pag. 362. sq. à Doctissimo HEUMANNO, quam *alii* sint rari pariter atque impii, *alii* rari & minus erudite scripti, &

alii

alii denique, rari juxta bonique;

Quando ad priorem claſſem, non atheiſticos ſolummodo libros, ſed & impuros & ſotadicos quin imò etiam libros quoscunque ſeditioſos referre licebit, quorum ſatis copioſum numerum in ſuo catalogo ſub titulis *Acoſta*, *Admonitio*, *Adolphi*, *Alethæus*, *Apologia*, *Aponenſis*, *Aretinus*, *de Bath*, *Baudius*, *Beverlandus*, *Blount*, *Brunus*, *Cirellus*, *Clendonius*, *Comazzus*, *Cowardus*, *Cuffeler*, *Cymbalum*, *Fable*, *Gospel*, *Hontan*, *Koerbach*, *Maier*, *Maſſe*, *Meditationes*, *Mengi*, *Pantheiſticon*, *Philopater*, *Pomponatius*, *Portius*, *Rocheſter*, *Sanchez*, *Schoppius*, *Servetus*, *Spinoſa*,

To-


Tolandus, *Vaninus*, *Venetus*, *Venus*, &c. recenſuit Doctiſſimus VOGTIUS.

Ad ſecundam claſſem referuntur ii ipſi meritò libri, quorum ea eſt, ſi intuearis præſtantiam, vel, ut verius dicam, ſuperficiarium ſcribendi & commentandi genus, vilitas, ut ne digni quidem fuerint habiti qui denuò imprimerentur, quique eandem ob cauſam raritatis notam ſubierunt, quem in cenſum ne plura jam comportemus, ſi magnam partem ſcriptorum antagoniſticorum v. g. in cauſa *euchariſtica*, *pietiſtica*, *prædeſtinatiana*, *terminiſtica*, *ſyncretiſtica*, ſimilibusque, referamus, non admodum à vero deviabimus;

Ad tertiam verò eamque præstantissimam classem, quinam potissimum sit referendi, facilius meliusque expediri ac cognosci potest ex ipso *Catalogo Vogtiano* atque ex nostro hoc *Florilegio* rite perlustrato quam ut in hoc proœmio vel longum de iis instituere sermonem vel regularum adaugere numerum necesse sit:

Tu verò, humanissime Lector, ut hæc *otia* quoque *litteraria* boni consulas, atque ut si quid in iis est præstitum quod studiis tuis prodesse possit, id grato suscipias animo, velim. Vale.

FLORI-



FLORILEGIUM
Librorum quorundam *Rariorum.*

ABBATTI (*Roberti*) *Antichristi demonstratio contra fabulas Pontificias & ineptam Roberti Bellarmini de Antichristo disputationem*, Londini excudebat Robertus Barker Illmœ Regiæ Maj. Typographus 1603. 4. Erat Author Th. Doctor & Professor Oxoniensis, Georgii Abboti Archiepiscopi Cantuariensis frater, uti ipse, A. 1615. in Episcopum Sarisburiensem est consecratus atque A. 1618. supremum diem obiit: Dedicavit is hanc opellam oppido raram, *Jacobo* I. Magnæ Britanniæ Regi, cui de Anglicano Regno, in quo Elisabethæ Magnæ successerat gratulatur; atque *Mathæi Parisiensis* versum de Henrici secundi obitu ad præsentem casum adplicat: *Mira canam, Sol occubuit, nox nulla secuta est.*

Notari verò debet, & hunc ipſum librum, quinquennio poſt A. 1608. de novo fuiſſe editum formâ octavâ, unà cum JACOBI Regis commentario de *Antichriſto*;

Cæterum primariam hic adverſus Pontificios cauſam videmus pertractari; *Quam ſi obtinüerimus*, ſunt Auctoris verba, (*eſſe Romanum ſcil. Pontificem Antichriſtum*,) *de reliqua controverſia dubitandi non erit relictus locus*, *quia de Antichriſti doctrina*, *quin pernicioſa ſit*, *& impia*, *dubitari non poteſt*. Breve ejus libelli excerptum dat Cl. STRUVIUS, in Biblioth. Antiq. Anni 1706. p. 487. quocum ita merito rationem inimus: „ Nulli dubitamus, quin attentus lector, etſi alioquin fortaſſe in Pontificem propenſior, ſuſpenſus evadat & ſecum cogitet, plane miraculum eſſe, „ ut *Pontifex Romanus* juſtiſſimo ubique „ paſſu in Antichriſti veſtigiis incedat, „ neque tamen ſit Antichriſtus. „

ABRAMI (*Nicol.*) *libri*, *non ſunt penès nos ulla in Bibliotheca*, inquit COLERUS in *Anthologia* T. I. faſc. V. p. 348. Erat ABRAMUS Societatis Jeſuiticæ in Academia Muſſipontana S. Litt. interpres. Quo munere functus paucos edidit libros, eosque rariores, ac noſtris in oris à vulgo eruditorum ignoratos, teſte

teste BÆLIO in diction. voc. *Abram.* Inter eos, uti est *Epitome rudimentorum linguæ Hebraicæ versibus latinis breviter comprehensa*; ita cumprimis eminet, *Pharus Vet. Testamenti*, seu, *Sacrarum Quæstionum libri XV. una cum libris IV. de Veritate & Mendacio.* Parisiis apud Mathurinum Henault, via Jacobæa, sub signo Angeli Custodis 1648. fol. De hoc opere ita Cl. HOFMANNUS ad Colerum scribit l. c. p. 349. *Volumen si dico rarum, multos facile annuentes habebo; Si eruditissimum, nemo negabit, nisi qui & ipsum librum & raram Abrami doctrinam ignorat. Optarem tam eruditum opus nostris in finibus magis celebrari, ast quid vota valebunt, quidque efficient?*

ACTA *Pacificationis, quæ coràm Sac. Cæsareæ Majest. commissariis, inter Seren. Regis Hispaniarum & Principis Matthiæ Archiducis Austriæ, Gubernatoris, &c. Ordinumque Belgii legatos, Coloniæ habita sunt, fideliter ex protocollo legatorum Ordinum descripta* &c. Antverpiæ apud Plantinum 1580. 8. & Lugduni apud Andr. Schutenum. 1580. 4. Si hæc Acta dixerimus complecti res omnium maximè memorabiles, atque cumprimis Reipublicæ & Ecclesiæ Fœderati Belgii prima fundamenta, à verò non

aberrabimus. Collegit ea, Ordinum nutu & auctoritate, non equidem, quod THUANUS judicabat Historiar. Lib. LXVIII. §. XXV. Tom. III. f. 691. *Adolphus de* MEETKERKE qui & ipse ex Ordinum legatis fuerat, sed *Aggæus* ALBADA Jureconsultus eximius, & ipse inter Ordinum legatos conspicuus, rectè monente Ge. BRANTIO in Hist. Ref. Belg. T. I. p. 648. qui simul observat, quam egregiis planè annotationibus, declarationibus & observationibus, de rebus religionis, libertate conscientiæ & cultus publici, eadem sint instructa; Sunt autem Annotationes pleræque ac probationes pro defendenda Protestantium & Ordinum in Belgio causa ac libertate institutæ, cum Præfatione, qua maximè nititur demonstrare, Belgas ob tumultus exortos, quorum culpam in Albanum ac ceteros Regis ministros rejicit, aut divinæ læsæ majestatis, aut perduellionis crimini minimè affines esse: inprimisque, de templis expilatis & imaginibus ac statuis passim dejectis, quod, qui potuerunt, non prohibuerunt, crimen objectum refutat: *Et factum quidem ipsum nunquam probasse moderatiores,* dicit, *aut non infectum voluisse, sed altius penetranti & judicia divina, quantum homini licet rimanti, in confesso esse,*

Deum

Deum hoc facto, Ordines, populum & Regem erudire & convincere voluisse, si tam grave piaculum judicent, lapideas & ligneas statuas frangere & demoliri, quantum piaculum sit, homines, sine ullo discrimine sexus & ætatis, qui ad imaginem Dei facti sunt, & quorum sine dubio magna pars jam imago Dei, hoc est, Christiani erant, destruere & evertere?

Esse autem hæc Acta longè rarissima, norunt, quibus res Belgicæ curæ sunt cordique, ut *Janus* GRUTERUS, Vir longè doctissimus jam suo tempore consultum judicaverit, ea denuò in lucem edere, atque inter *Scriptores Rerum Belgicarum*, quorum collectionem is meditabatur, referre. Sunt eadem hæc etiam *Lingua Belgica* edita eod. anno 1580. Leidæ apud Carolum Sylvium, Ordinum Hollandiæ Typographum.

ACTA Colloquii *Ratisbonensis* ultimi A. 1546. habiti, admodum esse rara, testatur SALIGIUS in Hist. Aug. Conf. Tom. I. p. 552. Prodierunt ea sub hoc titulo: *Actorum colloquii Ratisbonensis ultimi, quomodo inchoatum ac desertum, quæque in eodem extemporali oratione inter partes disputata fuerunt, verissima narratio, jussu Cæsareæ Majestatis conscripta* & *edita* Ingolstad. 1546. 4. Verus eorum editor est *Joh.* HOFMEISTERUS,

RUS, Pontificius, qui & ipſe à parte Pontificiorum collocutor in eo erat colloquio. Quæ verò à parte Poteſtantium edita ſunt Acta, prodierunt Witebergæ 1546. 4. & *Georgium* MAJOREM habent auctorem: Nam & *Martinus* BUCERUS brevem ſed fide dignam de eodem colloquio tum lingua Germanica edidit relationem hiſtoricam. 4. quam utramvis ipſe ſervo.

AITZEMA (*Foppii ab*) Friſii, Jureconſulti Helmeſtadienſis *Poëmata Juvenilia*, una cum diſſertationum ipſius ex Jure Civili Libris II. Helmſt. 1607. 4. edita, non ſunt ubivis obvia, teſte M. CRUSIO in Memorabil. Pleſſiacis p. 17. Quanti verò Foppium æſtimaverit *Iſaacus* CASAUBONUS, liquet ex ejus Epiſtola 412. & 414. edit. Amſterd. in folio.

ALBÆ (*Johannis*) *Selectæ Annotationes & expoſitiones* in varia utriusque Teſtamenti difficillima loca. Valentiæ 1613. 4. & Mogunt. 1676. 8. Raritatem hujus, quem ex editione Moguntina ad manus habemus, libelli addiſcimus ex eo quod Cel. *Jo. Chriſt.* WOLFIUS in Epiſtola ad M. V. de la Croze in Theſ. Epiſt. Croz. T. II. p. 180. fatetur ſe nunquam eum librum vidiſſe, & tamen eum vehementer deſiderare.

ALCYONII (*Petri*) *Viri undequaque doctiſſimi*

tissimi Medices Legatus, sive de Exilio libri II. latinæ linguæ elegantia ad unguem expoliti, ac Christianis Philosophicisque rationibus instructissimi. Venetiis anno 1522. in ædibus Aldi & Andreæ Asulani soceri 4 & 8. & Aureliopoli 1624. 8. Rarissimi hujus libri notitiam exhibet STRUVIUS in Biblioth. Antiq. 1706. p. 369. sq. qui simul ex *Jovio*, *Pierio Valeriano*, *Varillasio* & *Bælio*, quædam ad Auctoris vitam *a*) & fata spectantia præmittit: Memorabile est, quod *Alcyonius*, cum statum Italiæ, qui tempore Laurentii Medicæi fuerit, describit, de Sixto IV. Pontifice Maximo ita loquatur: p. 237. edit. Menkenianæ. *Officii Pontificii & religionis & Dei oblitus, non secus in Italia bella excitare solebat, atque si illa Asiæ aut Africæ provincia esset, in qua Turcæ & Pœni regnarent: non pars Europæ, ex flore clarissimorum virorum constans, cujus Princeps esset Pontifex Maximus, qui moderatissime & sapientissime clavum tanti Imperii tenere & gubernacula Reip. tractare in maximo cursu & fluctibus deberet.* Enimverò Cl. *Joh. Burch.* MENCKE-

a) *Alcyonii* vitam quoque videmus à doctiss. *Niceronio* exhiberi in Memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres Tom. IV. p. 150-166.

NIUS A. 1707. hos & alios libros in 12. Lipsiæ sub titulo, *Analecta de calamitate literatorum* recudi fecit, una cum præfatione, qua Alcyonii causam, adversus Pauli Manucii accusationem, quasi ex Bibliotheca Monachorum Florentinorum, *Ciceronis* libros *de gloria* suffuratus fuisset, atque ex iis suum hunc *de Exilio* librum consarcinasset, defendit.

ALDRETE (*Bernhardi*) Hispani, Antiquitates Hispaniæ & Africæ, patria lingua editæ & quatuor libris comprehensæ Antverpiæ 1614. 4. inter rariores libros recenseri solent: Integer titulus ita se habet: *Varias Antiguedades de España, Africa, i Otras Provincias del Doctor* Bernardo Aldrete, *Canonigo, en la Sancta Iglesia de Cordua.* En Amberes, à costa de Juan Hasrey anno MDCXIV. Præ reliquis, magno studio *Punicas* hic, sive *Carthaginenses* tradi videmus Antiquitates, quippe cum Lib. II. Cap. II. integrum Vocabulorum *Punicorum* exhibeatur *Lexicon* à pag. 180—240. De raritate libri testem habemus Celeb. MOSHEMIUM in Epist. ad Cl. Mat. Veyss. de la Croze in Thes. Epist. Croziano. T. I. pag. 298. ubi & consulit Moshemius Crozium, an verum id sit, quod Antonius in Biblioth. Scriptorum Hispan. retulerat, „ *Antiquitates* AL-

DRE-

„ DRETÆ latinè etiam esse editas. „ Id saltem certum est Cl. HAVERKAMPUM Leidensem quondam Professorem, communi cum Cl. Moshemio inito consilio, & LASTANOSÆ librum rarissimum de Nummis Hispanicis incognitis, & hunc ALDRETÆ librum in Latinam Languam conversum, inserere voluisse *Thesauro Hispanico*, quem is, dum vivebat, moliebatur. v. Thes. Croz. T. II. p. 218.

Ejusdem *Del Origen, y Principio de la Langua Castellana compuesto par el Doctor Bernardo Aldrete.* Madrit 1674. fol. Lib. rarus dicitur in Bibl. Albini. p. 17.

ALEXII (*Simonis*) *Dialogi* VII. longe sunt rariores, neque ferme noti, nedum perspecti, iis qui ceteroquin Historiæ Reformationis monumenta satis excusserunt diligenter. Integer libelli titulus hic est: *De Origine Novi Dei Missatici, quondam in Anglia mortui, nunc denuo ab inferis resuscitati, dialogi VII. In quibus purissimi Sacræ Scripturæ fontes, ad impurissimas Scholasticæ doctrinæ lacunas collati, non tantum verum Cœnæ Dominicæ usum ostendunt, sed etiam impium Missæ Papisticæ abusum patefaciunt. Simone* ALEXIO *Authore* MDLVIII. 8. Præfatio libello, Genevæ ni fallor, apud Joh. Crispinum Atrebatensem qui

& præfationem conſcripſit excuſo, præmiſſa, commemorat, auctorem SIMONEM ALEXIUM, fuiſſe virum, cui propter inſignem miniſterii verbi Dei functionem, multum tribui debeat, quique *hos Dialogos ad adverſariorum technas detegendas & impugnandas ſcripſerit Londini, non equidem edendi cauſa, ſed ut illuſtriſſimi Viri & Chriſto fideliſſimi martyris*, THOMÆ CRANMERI, *apud quem tum agebat, mandato ſatisfaceret*; Veluti Auctorem in his dialogis id egiſſe, deinceps aſſeritur, *ut calicis noxia pharmaca, quibus hactenus totum inebriavit orbem Romanæ aulæ incubator Antichriſtus, nota faceret, & ignorantes (ſi fieri poſſit) à meretriciis illius poculis avocaret.* &c. &c. Notabilia prorſus ſunt verba *Theodidacti* pag. 117. qui ad *Philotheum* collocutorem hunc in modum, „ quod Chriſtus dixit, *Hoc eſt* „ *corpus meum*, ejus ſenſus eſt. *Hoc*, „ nempe panis, *eſt*, id eſt, repreſentat „ *corpus meum* Quemadmodum inter„ pretati ſunt ſancti Patres veteris Ec„ cleſiæ Quod doctiſſime quoque pro„ bavit pientiſſimus & doctiſſimus vir, „ Thomas Cranmerus, archiepiſcopus „ Cantuarienſis, in ſuo tertio libro de „ præſentia & modo exiſtendi corpo„ ris Chriſti in Sacramento coenæ Do-

„ mini-

„ minicæ. „ Et deinceps pag. 122. ita infit. „ Papiſtæ dicunt, in ſacramento „ coenæ Dominicæ ſubſtantiam panis „ converti virtute conſecrationis in corpus Chriſti, ipſumque Chriſtum ſub „ ſolis ſpeciebus panis vere, & realiter „ contineri & manducari. Nos autem „ dicimus, veram panis ſubſtantiam in „ Sacramento manere, & ori externo „ hominis exhiberi, & quam certo ſcimus externo homini panem verum „ exhiberi, tam certo ſcimus interiori „ noſtro homini, per fidem verum Chriſti corpus & verum Chriſti ſanguinem communicari. „ Ex hiſce atque ſimilibus effatis huic libello affatim inſertis judicare poterit attentus Lector, cuinam ſententiæ, primi in *Anglia* Evangelii renati Confeſſores fuerint addicti, illine quam adeo acriter propugnant Lutheri aſſeclæ, an vero illi, cui ex verbo Dei reformatæ, adſtipulantur Doctores noſtri.

ALLATIUS (*Leo*) de *Templis græçorum recentioribus* ad Joh. Morinum. De *Narthece Eccleſiæ Veteris* ad Gaſparem de Simeonibus. De *Græcorum* hodie quorundam *opinationibus* ad Paulum Zacchiam Colon. 1645. 4. Conſtat autem, Allatiana haud frequenter eſſe obvia. M. H.

AL-

ALLENII (*Wilh.*) libellus a) *de Jure occidendi tyrannum* eſt rariſſimus. Extat editio Lugd. 1658. ita inſcripta. *Traité politique, que tuer un Tyran n' eſt pas un meurtre.* v. de hoc libro PLACC. Theatr. anon n. 2114. α. & 2484. Inter hujus ALLENII, quem inter eruditos mercatores recenſeri conſtat, Opera A. 1707. ſimul edita libellus hic non reperitur. vid. Act. erud. Suppl. T. V. p. 242.

ALLIXII (*Petri*) Perinſignis Theologi Gallo-Britanni Reformati, atque inter Macrobios eruditos recenſendi, cum A. 1641. natus, A. 1717. d. 3. Martii demum ſupremum diem obiverit in Anglia, Lucubrationes, uti omnes ſunt rariores, ita cumprimis, eruditum illud quod Lingua Anglicana ab eo conſcriptum habemus Opus duplex, inter rariora Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta locum habet: Prioris titulus eſt: *Some remarks upon the Eccleſiaſtical Hiſtory of the ancient Churches of Piedmont* by P. ALLIX D. D. Lond. 1690. 4. *Obſervationes quædam ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam eccleſiarum antiquarum Pedemontii* &c. Poſterioris vero: *Remarks upon the*

a) Eſt tamen Gui. PATINUS, qui in Epiſt. 151. cenſet, alium ejus libri eſſe auctorem Dn. ſcil. de *Marigni*. v. Clerc. Bibl. Univerſ. T. xx. p. 234.

the Ecclesiastical History of the antient Churches of the Albigenses. By P. ALLIX D. D. Treasurer of the Church of Sarum. London 1692. 4. *Observationes ad Historiam Ecclesiasticam antiquarum Ecclesiarum Albigensium* &c. Habemus utriusque Operis præstantissimi excerptum in Actis Eruditorum A. 1691. mens. Jun. p. 254. & seqq. & A. 1693. mens. April p. 169. & sq. Est vero utrumque hoc Latina versione dignissimum opus, BOSSUETI Episcopi Meldensis *Historiæ variationum* Ecclesiarum Protestantium, cumprimis oppositum; Is enim per totum librum XI. Albigensium & Waldensium famam denigrare, eosque Manichæismi reos *a*) declarare studuerat, quam ab iis calumniam abstergere utrovis hoc opere è re sua doctissimus Auctor existimabat: Quanquam vero non integram hic Waldensium vel Albigensium Historiam is describit, quod a viris egregiis *Chassagnonio*, *Perrino*, *Usserio*, *Legero & Morlando* jam factum erat, tamen vel sic egregia multa atque ex intimo eruditionis ecclesiasti-

a) Est notandum, quod præ ceteris Cl. quoque BASNAGIUS in Historia Ecclesiarum Reformatarum hanc causam adversus Bossuetum de Waldensibus non Manichæis, egregie defenderit Tom. I. p. 329. seqq.

ſiaſticæ penu deprompta hic affert, oſtendendo, veram Antiquitatem utriusque harum Eccleſiarum, ac demonſtrando, quam falſi nihil fuerit jactatum ab earum membris, quando aſſeruerunt, „ ſe a Romanæ ſedis jugo immunes, ori- „ ginem ſuam ad ipſa Apoſtolorum tem- „ pora referre; „ Quem in finem multa prorſus eximia nec alibi facile obvia, de iis qui inde *ab Irenæi temporibus* erudiverunt *Galliarum Eccleſias*, De exuſtione *Canonicorum Aurelianenſium*, de *Manichæis*, eorumque *in Galliæ provincias* ingreſſu, de *independentia* priſcarum *Eccleſiarum Gallicarum*, &c, quam nec Epiſcopo Romano ſubfuerint, nec ejus doctrinæ, quippe contaminatæ, adhæſerint, de *Dioeceſi Italica*, de *Liturgia Ambroſii*, etſim. hic plena manu Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cultoribus exponuntur cognitu digniſſima.

ALTARÆ (*Moſis*) *de manteniemento de la Alma* &c. i. e. Tractatus de alimentis ſeu ſuſtentatione animæ, quo exponitur ratio vivendi, quam Judæus in omnibus ſuis actionibus ſectari debeat, ex Hebraico Hiſpanice converſus per *Moſen* ALTARAS, Venet. 1609. fol. Librum hunc rariſſimum dicit *Jo. Chr.* WOLFIUS in Bibl. Hebr. T. III. p. 738. eumque luculentius recenſet.

AME-

AMEDÆI (Divi,) Episcopi Lausaniæ, de Mariâ Virgineâ Matre Homiliæ octo, plenæ mysticis ejus laudibus, quæ miris modis languidam in Deum mentem simul excitant, quibuslibet Christianis inprimis utiles & amœnæ. Basil. 1517. 4. M. H.

ex AMYRALDI (*Mosis*) libris nonnulli non frequenter sunt obvii. Ratio hæc est, quam dedit ANCILLONUS P. in *Melange Critique* p. 131. „ qu' il ne „ s' est jamais fait deux editions de M. „ Amyraud, excepté de celuy, qui a „ pour titre: Traité des Religions con- „ tre ceux, qui les estiment indifferen- „ tes. „ M. H.

ANDRADA. de *Jacobi de Paiva d' ANDRADA* libris X. *Orthodoxarum explicationum de divisis religionis capitibus* Venetiis 1564. 4. editis, rectè jam notatum est à Cl. *Vogtio* p. 28. quod ii *Martino* CHEMNITIO occasionem dederint conscribendi illustre illud *Concilii Tridentini Examen*.

Intereà circa hujus operis raritatem notari debet & Doctiss. PELISSONIUM & Ill. LEIBNITIUM dudum frustra in illud inquisivisse, nec nisi magna demum opera illud oculis usurpasse, vid. Lettres de Mr. *Leibnitz*. & de Mr. Pelisson &c. lettr. III. p. 285. &

LEIBNIT. Epiſt. Miſcell. ep. 57. p. 106. & ep. 58. p. 107.

ANDREASII (*Marſilii*) Mantuani, Oratio de amplitudine Miſericordiæ Dei abſolutiſſima, Italico ſermone primum conſcripta, nunc in Lat. ſermonem converſa â Cælio Horatio CURIONE C.S.F. interprete: Item Sermones tres D. Bernardi OCHINI de officiô Chriſtiani Principis eôdem Interprete. Item S. Declamationes quinque Baſil. 1550. 8. M. H.

ANONYMI Commentarius in APOCALYPSIN Witeb. 1528. 8. chartis 25. & dimid. Eſt libellus longe rariſſimus à Luthero ipſo unà cum præfatione editus; ubi inter alia ita inquit: *Primum te oro, quisquis es Lector hujus commentarii, ne quid fictum à nobis editum credas. Ego (ſi qua fides mea eſt) teſtor hunc Codicem eſſe per optimos viros ab extremis finibus Germaniæ, nempe è Sarmaticis Livonicisque regionibus ad me miſſum, literis & ſyllabis ſeculum ſuum proprie teſtantibus deformatum, ut ipſe negare non potuerim, eſſe eum annis circiter ſeptuaginta, ante hos annos deſcriptum. Ex ipſo vero Codice ſatis intelligi poteſt, auctorem ejus Commentarii fuiſſe eo tempore, quo monſtrum illud maximum ſtetit Schismatis (quod vocant noviſſimi,) quod tandem Conſtantienſi conciliа-*

ciliabulo, per ſanguinem Joh. Huſs & Hieronimi Pragenſis velut ſacrificio quodam placatum & finitum eſt . . . . Papam Anti-Chriſtum & recte & vere pronunciat, idque indubitata fide atque conſcientia, argumentisque fideliſſimis.

Ad JOH. HUSSUM hunc commentarium pertinere docet *Conr.* GESNERUS in Biblioth. Univerſ. fol. 427. Unde & WHARTONUS in App. ad *Caveum* p. 70. inter Huſſi ſcripta refert, Commentarium in Apocalypſin ſine authoris nomine editum Witembergæ 1528. Sed incerta tamen, uti nobis videtur, conjectura, & videtur Cl. LAMPE in H. E. L. 2. c. 11. p. 321. eum tribuere Johanni PURVEYO, Wiclefi diſcipulo, ſecutus in ea ſententiam Ph. MORNÆI Viri Illuſtris, qui in Myſterio iniquitatis pag. 495. eundem Jo. Purveyo attribuit, cum alii eum aliis tribuant;

Id ſaltem certum eſt, ipſo Auctore referente p. 122. b. quod A. 1389. vel, 1390. hæc conſcripta ſint; Ibi enim diſertis verbis, de ſchismaticis Pontificibus Urbano VI. & Clemente injicitur mentio atque additur: „ Impo„ ſuerunt etiam ſibi, quod ipſe habuiſ„ ſet ſpiritum prophetiæ, prædicendo „ unum terræ motum, qui factus fuiſ-

„ ſet proxima æſtate elapſa Anno Domini 1389. quo tamen anno nullus „ terræ motus contingebat. „ Enimverò, & illud notari debet, quod Auctor referat pag. 94. b. *ſe hæc in carcere conſcripſiſſe*; quin imò addat; „ Se nunquam conſimilia contrà Antichriſtum „ & ſuos conſcripſiſſe, niſi ea occaſione, qua ſe incarceraverant, ne unquam ageret adverſus eos. „ Quod confirmatur pag. 104. a. ubi & illud addit: „ Et ſæviſſimos compedes, non „ modo ferreos ſed & calibeos mihi inter cæteros providerunt. „

Enimverò, ex hiſce aliisque id elicitur, *Joh. Huſſum* ejus auctorem eſſe non poſſe, quippe qui non ante ann. 1415. fuit incarceratus; Neque etiam is tum demum, quando incarcerabatur, Papam dixit eſſe Antichriſtum, quippe qui jam ante, *Anatomiam Antichriſti* (vid. Opera Huſſi Tom. I. p. 336. 337.) conſcripſerat, atque in ea Papam & Eccleſiam Romanam denigraverat. Ut hactenus propter ea quæ de *Johanne Purveyo* annotavit *Mornæus*, vero ſit ſimilius, eum pro auctore haberi debere: Quæ enim ex exemplari Peterſeniano, quod per Rev. GRONAVIUM Theologum Berolinenſem ad me devenit, afferuntur de *Sigmundo von Wembdingen*, qui for-

forte ejus ſit auctor, ea ſoli innituntur conjecturæ nullis rationibus firmatæ.

ANTONIDÆ (*Henrici*) Nerdeni Syſtema Theologiæ Franeker. 1613. 4. editum extremæ etiam in noſtris regionibus eſt raritatis: Fuit ipſe *Henricus* à loco natali Nærda, Nerdenus, ordinariò quoque *Antonides van der Linden* dictus, inter primos Academiæ Friſicæ Profeſſores Theologos, quippe qui & novam Academiam d. 29. Julii A. 1585. initiavit atque non diu poſt d. 13. Febr. 1587. Templum Academicum. Eſt verò id tantò notabilius Syſtema, quod illud perinſigni ornatum eſt præfatione, quæ nobis primordia Reformatæ in Belgio Religionis ſiſtit, ex qua eapropter *Miſcellaneis* noſtris *Groninganis* Tomo Tertio, Faſcic. I. n. V. p. 43-64. quædam inſeruimus excerpta, ſub titulo *Auroræ Lucis Evangelicæ* &c. At verò, quum alia multa pereximia illi præloquio ad Illuſtriſſimos Ordines Belgii Fœderati Generales directo, inſint, juvat unum alterumve ex eo ſpecimen excerpere: Sic enim is jam tum (ſcilicet Anno 1611.) inter alia: „ Nam certa „ eſt Eccleſia, ſcribit, nullam eſſe veri- „ tatem Dei, niſi in ejus ſermone.... „ .... Quid ergo? *Confeſſio* & *Cathe-* „ *chiſmus* erunt norma ſenſus ſcripturæ,

„ & ad ea ceu trutinam ecclesiæ sana
„ doctrina erit examinanda? Nemo
„ nostrum hoc in mentem sibi unquam
„ venisse, nemo ab se dictum fatebitur,
„ nemo agnoscet. Quin contrà & cre-
„ dimus & loquimur, quod solæ Scrip-
„ turæ θεοπνεύστοι comprehensæ libris V.
„ & N. Testamenti Propheticis & A-
„ postolicis sint unica & perfecta nor-
„ ma & verborum & sensus Confessio-
„ num Ecclesiæ, Symbolorum, Ca-
„ techismorum, Concionum, Scripto-
„ rum, Dictorum, & soli Scripturæ
„ deferimus auctoritatem canonicam,
„ ut nihil sit rectum, nec quà de ver-
„ bis, nec quà de sensu, nisi quatenus
„ ex ea depromtum est, recipiendum-
„ que sit, nec propter ecclesiæ, nec
„ synodi, nec Patrum nec Doctorum
„ auctoritatem, sed tantum, quia à ver-
„ bo Dei sit approbatum. Quorsum er-
„ go Confessio & Catechesis? Inter-
„ pretandam esse Scripturam fatebitur,
„ nam id pertinet ad finèm instituti à
„ Filio Dei ministerii ecclesiæ, & pro-
„ pterea dona dat. Horsum ergo Con-
„ fessio & Catechismus, ut notum sit,
„ quem sensum Scripturæ S. ecclesia
„ non dat, non affingit, sed ex ea didi-
„ cit et credit. . . . . Sic igitur nos
„ consensus retinendi & testandi ergo
sub-

„ ſubſcribimus Confeſſioni & Catechis-
„ mo, non quod eos libros putemus eſſe
„ θεοπνεύϛες, aut paris cum iisdem auto-
„ ritatis (malè id creditur, calumnioſè
„ dicitur) ſed quià ex unico Canone,
„ qui eſt Scriptura S. deſumtos eſſe &
„ cum eo convenire judicamus, Fidem
„ enim in Deum non in homines profi-
„ temur. „

Sic & deinceps: *Odi* inquit, *ſi quis, in rerum natura*, τὴν ψυχοτυραννίδα, *& non ſine horrore ejus exercitæ in tot pia capita & in me quondam ipſum memini, & puto eos qui eam unà mecum ſunt experti, ultrò futuros plus ſatis faciles & pronos ad ſummam moderationem, & moveri argumentis, quæ ingenuè agnoſco mihi hac de re cogitanti ſemper obverſari: quod errorum conſcientiæ, & delictorum ejusdem teſtimonio redargutorum, magnum & evidens ſit discrimen: .... Scio conſcientiam eſſe teneram, & non niſi præeuntis judicii in intellectu ſpontaneam ſectatricem, vi preſſam ad tempus quidem luctari cum hypocriſi, ſed tandem aut ſe apertè prodere, aut planè obbrutescere & extingui. Interea non omittenda ſunt, quæ Dei zelotæ honor neceſſariò requirit, & quæ juſta tyrannidis & ſævitiæ ſuſpicione non laborant apud infirmiores, ſic ut, quod in disciplina Eccleſiæ vult Auguſti-*

 nus,

nus, discernantur ea quæ multitudinem occuparunt, nec ſine periculo tritici tolli poſſunt, ab iis quæ per paucos ſparguntur, quæ fundamentum luxant, ab iis quæ minus.

Porro: „ Audiantur diſſentièntes, „ audiantur ſatis & plus ſatis, audiantur ἀσφαλως & ἀτιμωρητως, inſtituantur collationes placidæ virorum ſapientum, piorum, alienorum à perſonali odio, invidia, ſimilibusque carnis affectibus, æquitatis & concordiæ amantium, non ambitioſorum, iracundorum, non eorum quorum tota vita teſtatur non religionem, ſed mundum quæri:

„ Qui in magiſtratu ſunt conſtituti, „ ne exiſtiment religionis cognoscendæ curam ab ſe abeſſe debere alienam. „ Diſcant eam ipſi diligenter ex Verbo „ Dei, cum illo conferant diſſentientium ſententias, in controverſiis de „ religione non ſint κωφα προσωπα, & „ alieni judicii tantum adminiſtri:

„ Quomodo alioqui per leges ſua autoritate ſancient, quod non intelligunt? Certè hoc non poteſt fieri ex „ fide, quod autem non ex ea, peccatum eſſe pronunciat Apoſtolus. „ ... Sed hæc ſufficiant, quippe ex quibus præclari Viri indoles cognoſcitur, & quam

quàm Libertatis æquè ac Veritatis assertor fuerit strenuus, Antonides noster, qui tamen triennio post A. 1614. ætatis 69. fato suo functus est.

APOLLONII (*Levini*) Gandobrugani, Mittelburgensis,) *de Peruviæ regionis, inter Novi Orbis provincias celeberrimæ inventione, & rebus in eadem gestis Libri V. ad Jacobum Claroutium, Maldeghemmæ ac Pittemiæ dominum.* Antwerp. 1567. 8. De Auctore Libri rarioris conf. SWEERT in Athenis Belg. pag. 504. Ipsum librum verò excerpsit Cl. STRUVIUS Bibl. Antiq. p. 369-382. qui & deinceps accuratissimum apponit Judicium, „ esse scilicet hunc librum „ insignis utilitatis, utpote in quo ac„ curata serie occupatio, mores, soli „ ratio, bella cum barbaris, regionis „ Peruviæ describuntur, ut plenior „ cognitio nobilissimæ & auro atque „ argento ditissimæ Provinciæ ex illo „ hauriri possit. „

APOLLONII (*Petri*) *Excidii Hierosolymitani* Libri IV. editore *Adr. van der burchio* Lugd. 1586. 8. itidem inter rariores libros recensentur. Sed vid. COLLATIUS.

APORTANI (*Georgii*) liber de S. Coena Emd. 1528. lingua vernacula i. e. Oostfrisica conscriptus: sub tit. *Eine klare under-*

underrichting van den Sacramente des Avendmals unſes Heren Jeſu Chriſti, inter rariſſimos merito numeratur. GEORGIUM APORTANUM, primum Friſiæ Orientalis Reformatorem & Emdanorum Evangeliſtam, vero nomine dictum *Jurjen van*, ſive, *by der daere*, nemo niſi qui in Reformationis hiſtoria hoſpes eſt, *a)* ignorare poterit; Quæ de eo maxime ſunt memorabilia habemus ab *Ubbone* EMMIO V.C. deſcripta, Hiſtoriarum Lib. LIV. p. 824. & ſeqq. Teſtamentum ejus A. 1530. d. XVI. Januarii conſignatum & propria viri manu ſcriptum habemus inter ſarcinulas noſtras, tanquam κειμηλιον longe rariſſimum, & ex quo pro illorum temporum more, *partim* fidei ejus, cui immortuus is eſt, *Reformatæ* ſincera & conſtans Confeſſio, *partim*, ſingularis conſpicitur, quo is apud *Ennonem* ejus temporis Illuſtriſſ. Friſ. Orientalis Comitem valebat, gratia, quippe qui Domum quoque, ipſi in hæreditariam poſ-

a) Cæterùm de Eo EMMIUS Lib. LV. fin. pag. 862. ita: *Vir ſanctiſſimus & bonis cariſſimus, etiamnum in memoria grata poſterorum & Embdæ & toto in agro vivens: Extat etiam nunc Summa doctrinæ ejus manu ſcripta, quam anno MDXXVI. conceptam adverſariis oppoſuit.*

possessionem ex liberali Donatione in favoris documentum dedit, uti ex ipsis illis testamenti tabulis pellucet. Cæterum hunc de *S. Coena* librum inter rarissimos hodieque quantum constat non amplius obvios, esse testis est doct. MEINERSIUS in Histor. Reform. Fris. Orient. T. I. p. 113. qui ita: *Het boek over het Avondmaal uitgekomen en te Emden gedrukt in't jaar* 1528. *waar van de Emder Predikanten gewagen p.* 41. 42. *zal naar alle waarschynlykheid zyn maakzel geweest zyn, zo niet gantschelyk, ten minsten ten dele: wordende dit boek, zo veel ik'er af weet nergens meer gevonden.*

AQUILIANI (*Scipionis*) Tractatus *de placitis physicis Philosophorum* qui ante Aristotelis tempora floruerunt Venet. 1523. & Mediolani 1615. 4. est rarissimus, vid. FABRIC. Bibl. Gr. Lib. II. c. 33. p. 296. & BRUCKER Hist. doctr. de Ideis, qui & ipse in Histor. Critic. Philosoph. P. II. Lib. II. c. VII. §. XIV. p. 811. profitetur se novam editionem additionibus & illustrationibus auctam dudum meditari.

AQUILINII (*Cæsaris*) *De tribus Historicis Concilii Tridentini*, Amstelod. apud Elisæum Weyerstraten 1660. 8. Auctor ipse quicunque demum sit, de quo dispu-

 tatur

tatur ap. PLACC. Theat. n. 217. fol. 70. Romanæ, quod ex hoc ſcripto non ubivis obvio, utiliſſimo tamen ac egregio liquet, Eccleſiæ addictus, tres inter ſe comparat *Petrum Suavem Polanum* ſive, Paulum Sarpium Venetum, *Scipionem Henricum*, & *Sfortiam Pallavicinum*, Concilii Tridentini Scriptores, eum in finem ut quam eximia ſit Suavis Polani ſive P. SARPII, auctoritas & prærogativa evincat, unde primo, *Henrici* & *Pallavicini* opera inter ſe confert, deinde verò *Petri Suavis* & Sfortiæ *Pallavicini* Hiſtorias accuratius examinat. Enimvero *Pallavicinum* vel ipſo *Henrico* eſſe minorem evincit; atque deinceps comparat *Suavis* & *Pallavicini* Hiſtorias, ut ſunt Hiſtoriæ. Porro conſiderat *Pallavicini* Hiſtoriam, quatenus eſt reſponſio ad P. Suavem, & tertio demum judicium profert, utra magis utilis vel perniciosa ſit Eccleſiæ Romanæ; Atque omnibus tandem excuſſis rationum momentis concludit, *Suavis* ſive *Sarpii Hiſtoriam* longe excellentiorem eſſe, duobus magnis Pallavicini voluminibus, quæ indignationem in legentis animo excitare, parum autem veritatis dare valeant. confer STRUV. Biblioth. Antiq. 1706. p. 465-474.

ARE-

ARETII (*Benedicti*, Bernenſis) Commentarii abſolutiſſimi in *Pindari Olympica*, *Pythia*, *Nemea*, *Iſthmia*. excudit Johannes le Preux 1587. 4. Eſt liber is longe rariſſimus, quique non niſi maximo pretio comparari poteſt; Quam doctiſſimus ille ex noſtris Theologus ARETIUS, cujus eruditiſſimum commentarium *in Libros novi Teſtamenti* habemus in fol. in literatura Græca fuerit verſatiſſimus, ex ipſo hoc pereximio cognoſcitur opere, quod titulo tenus tantummodo cognitum fuiſſe Viro Cel. J. A. FABRICIO, apparet ex ejus Biblioth. Gr. XII. c. xv. Complectitur autem, hoc Opus pag. 558. in maj. forma quarta, & prodiit absque ullo præfamine, niſi quod typographus tria quatuorve verba ad lectorem præmiſerit, quæ nihil tamen, quod commemorari mereatur, exhibent.

ARETII (*Bened.*) Ejusdem *Hiſtoria condemnationis Valentini Gentilis*. Genev. 1567. 4. inter rariora quoque connumeratur ſcripta. Integer ejus titulus hic eſt. *Valentini Gentilis teterrimi hæretici Impietatum ac triplicis perfidiæ & perjurii explicatio ex Actis publicis Senatus Geneven ſis, adjicitur Hiſtoria quod juſto capitis ſupplicio affectus fuerit, & contra ejusdem blaſphemias defenſio articuli de Sancta Trinitate.*

AS-

ASLACI (*Conradi*) *Historiam Reformationis Danicæ* Hæfn. 1622. editam, inter libros rariores suo jam tempore referebat SECKENDORFIUS Luth. L. I. §. CXLIX. pag. 268.

ASTORGA (*P. de Alva*) vid. PRODIGIUM *Naturæ*.

BALZACII (*Joannis Lud. Guezii*) Epistolæ selectæ Paris 1651. in 12. MORHOFIO teste in Polyh. L. I. C. XXIV. p. m. 293. raræ sunt. Hinc Vir Cel. J. Erh. KAPPIUS magnam ab orbe literato iniit gratiam, quod eas in novà editione libri Vavassoris de ludicrâ dictione recudendas curavit. Fuit enim Balzacius medio superiore seculo elegantissimi Vir ingenii, qui inprimis in literis scribendis magnam nominis celebritatem adeptus est, unde à nonnullis *le grand Epistolier de France* dicebatur, etsi forsan nativus magis lepos in ejus Epistolis Latinis, quam in Gallicis occurrat, in quibus, ut eloquentiam ostentet suam à stili Epistolici simplicitate recessit. M. H.

BARLETIUS (*Marinus Scodrensis*) de Vita & rebus gestis *Georgii Castrioti* illustriss. Epirotarum Principis, qui *Scanderbegus* cognominatus fuit. Argentor 1537. fol. Liber rarus dicitur in Bibl. Albini p. 35. n. 392.

BAR-

BARNESII (*Roberti*) Liber *de Vitis Pontificum Rom.* excusus est Witeb. 1536. 8. apud Joseph. Klug. cum præfatione Mart. Lutheri. Hunc paucorum foliorum libellum *rarissimè inveniri*, testatur Ill. SECKENDORFIUS in Indice III. ad Comm. de Histor. Lutheranismi ad A. 1536. *adeò ut pro deperdito haberi possit*, uti ipsam ibi Lutheri præfationem ob rerum & verborum pondera integram inseruit; Ut magnas me debere Amplissimo Basiliensium JCto Jac. Rud. ISELIO gratias, hic publicè profitear, quod is hoc munere literario nuper meam ditare voluerit Bibliothecam.

BARRETI (*Francisci*) *Relatio de Missionibus in Malavar.* Italicè scripta A. 1645. Eâ ex communicatione V. Cl. Theoph. Sigefr. Bayeri usus fuit in describenda *Historia Christianismi Indorum* Cel. Mat. Veyss. de le CROZE conf. Bayeri Epist. ad Crozium in Thes. Epistol. la Croz. T. I. p. 50.

BARTHOLOMÆUS Anglicus de Proprietatibus rerum. Colon. 1481. 4. Lib. rariss. in Bibl. Albini p. 69.

BARZÆI (*Casparis*) *Epistolæ de rebus Ormutinis*, quæ inter *Epistolas Indicas* Lovanii 1570. 8. sunt editæ, connumerantur inter libros rarissimos. Erat is *Goeza Zelandus* natione, atque inter

pri-

primos *Societatis Loyoliticæ* paraſtatas, Franciſci Xaverii perpetuus aſſecla, qui in Indiam deſtinatus jn urbe *Armuzia* (vulgo Ormus) Romanam fidem prædicavit, multaque ibi per integrum triennium miraculoſa, omnemque fidem ſuperantia patraſſe refertur. Prouti cum Goano Collegio totique per Indiam Societati præeſſet A. 1553. d. XVIII. Octob. diem ſupremum obiit: Sunt vero hæ *Epiſtolæ* ab ipſo conſcriptæ argumenti hiſtorici, ſatisqueprolixæ, de rebus *Ormutinis* ſive *Armuzianis* deque ejus urbis ad fidem quam is vocat orthodoxam converſione, ad ſocios Conimbricenſes & ad Luſitanos, itemque ad ipſum Ignatium Loyolam datæ: Conſcripſit ejus vitam libris tribus NICOLAUS TRIGAULTIUS Antwerp. 1610. 8. conf. Viri Ampliſſimi, P. DE LA RUE Geletterd Zeland. pag. 392. 393.

BARZÆI (*Johannis*) Heroum Helvetiorum Epiſtolæ Friburgi 1657. In hoc libro rariſſimo res ab Helvetiis in ſpecie primis libertatis aſſertoribus geſtæ carmine elegiaco deſcribuntur. M. H.

BECKII (*Math. Frid.*) *Martyrologium Eccleſiæ Germanice pervetuſtum* Auguſtæ Vindelicor. 1687. 4. V. Theſ. Ep. Croz. T. I. p. 167.

BE-

BEDELLI (*Gul.*) Scripta esse rarissima unusqusque novit. Erat verò is Episcopus Kilmoriensis in Hibernia, singularis pietatis atque eruditionis vir, natus A. 1570. denatus A. 1647. cujus vitam singulari tractatu conscripsit G. BURNETUS, qui simul ejus scriptorum, paucissimorum licet, mentionem facit, inter quæ & sunt *versiones duorum Pauli Sarpii tractatuum*, Traittè de *L'Interdit de la Saintete du Pape Paul* V. &c. & *Traittè de L'Inquisition*, qui à Bedello in Latinam sunt translati linguam, & dedicati Jacobo I. Regi Angliæ.

BENBELLONÆ (*Antonii de Godentiis*) *ad Pragmaticam constitutionem de Pace Religionis in Comitiis Augustanis* Anno 1555. *promulgatam* Commentatio Juridico - politico - Historica - Francofurti 1612. 8. Liber rarissimus. Est verò illud *Benbellonæ* nomen fictitium, uti sub hoc nomine latere *Bartholomæum Gerickium* Ictum jam post plures dixerat BAILLET liste des Autheurs deguisez pag. 534. & firmavit SCHLUSSELBURG in Theolog. Calvinist. p. 25. qui, pro more suo, quo Reformatos insectari solet, Auctorem hunc hominem gnaviter impudentem & audacem nominat. vid. PLACCII Theatrum Pseudonym. n. 372. p. 115.

BEN-

BENDINELLI (*Ant.*) Vita P. Corn. Scip. Africani Florentiæ 1549. 8. Liber rarus dicitur in Bibl. Albin. p. 67. Ejusdem vero, Annotationes locorum Histor. Gruterus inseruit Lampadi Crit. T. II.

BIBLIA *Complutensia* curante Francisco Card. XIMENIO adornata A. 1515. & sqq. insignis esse raritatis omnes norunt.

BIBLIA *Hibernica* curâ G. Bedelli adornata fuisse in Bedelli vita refert BURNETUS. pag. 120. 131. quanquam ea tum imprimi typis nequiverint, quæ laus quod *Rob. Boyleo* sit relicta, notatur ibid. conf. *Act. Erudit.* 1686. p. 243.

BIBLIORUM *Vandalicorum* mentionem facit Rev. VOGTIUS p. 122. 123. quæ tamen auctorem non habent *Georgium Dalmatinum*, quanquam is eorum curaverit editionem Latinis typis Witebergæ factam: Cæterum verus Auctor est *Primus TRUBER*, *a*) Evangelicæ Religionis in illis Regionibus Promotor summus, qui jam A. 1563. Tubingæ eadem edi curavit. vid. Acta Hist. Eccl. Vinariens. T. I. p. 784. 785. BI-

a) Cæterùm & hujus ipsius operâ *Augustanam Confessionem*, Croaticè esse conversam discimus ex catalogo Bibliothecæ Jablonskianæ pag. 133. n. 14. conf. SALIG. Hist. Conf. Aug. T. I. p. 714-721. ubi & reliquâ Viri præclari tum fata tum scripta enarrantur.

BIBLIOTHECA *Gallo-Suecica*, ſive, Syllabus Operum ſelectorum, quibus Gallorum Suecorumque hac tempeſtate belli proferendi, pacis evertendæ ſtudia publico exhibentur. *Herm. Irenicus* collegit. Acceſſit Prologus ad Concordiam Germanicam adhortatio. *Utopiæ* apud *Udonem Neminem*, vico ubique, ad inſigne veritatis, hoc anno, i. e. 1649. 4. Eſt is libellus, qui catalogum quaſi Bibliothecæ cujusdam exhibet, auro contra rarior, quanquam etiam quatuor ſolummodo philyris, paginis 28. abſolvatur. In hac Bibliotheca libri plures contineri dicuntur, quorum tituli ab auctore à quo conficti ſunt, enumerantur, omnesque ad bellum tricennale in Germania geſtum ſuperiori ſeculo pertinent; nimirum, num illud ſit jure ſuſceptum, num rectè fœdus cum hæreticis initum? de cauſis, conſiliis, cupiditatibus, quibus eſt geſtum: de eorum aſtutiis, qui verbo, ſe eſſe cupidos pacis oſtendunt, re ipſa à nulla re magis abhorrent, aliaque his ſimilia non parum multa: præterea urbes, ubi libri ſint editi, tabernæ bibliopolarum, &, ne quis errare poſſit, ſigna, eisdem præfixa, in quibus venales habentur, non magis argute atque ridiculè quam doctè eleganterque ſignificantur. Hujus libelli

mentionem facit *Janus Nicius* ERYTHRÆUS (i. e. Jo. Victor ROSCIUS) in Epiſtolis ad *Tyrrhenum* i. e. ad *Fabium Chiſium*, tum temporis Nuncium Apoſtolicum ac Pacis Weſtphalicæ Mediatorem, deinceps Cardinalem & Pontificem M. ſub nomine ALEXANDRI VII. Tom. poſter. ep. LV. pag. 89. atque hoc de eo fert judicium: „ Mihi autor illius operis videtur oppido doctus & ingenioſus, & inprimis gnarus earum rerum, quas in iis libris in diſputationem vocari, per jocum affirmat. Avemus ſcire, quid tu, vir prudentiſſimus, de eo libello judices. Nam in iis regionibus, in quibus verſaris, eum eſſe ortum, & à Germano aliquo conſcriptum, omnes fere pro certo exiſtimant.„ conf. VOGT. Catal. lib. rar. ſub tit. *Irenici* p. 332. itemque PLACC. in Theatr. Pſeudonym. fol. 396. ubi verus detegitur Auctor *Iſaacus Wolmar*, & indicatur, quod ad Arreſtum Parlamenti Typographus ad flagellum fuerit condemnatus.

BIGNONII (*Hieronymi*) liber *de Electione Papæ*. Lutet Pariſ. 1604. Gallico ſtylo eoque paulisper rudiori exaratus ſub Tit. *Traite ſommaire de l' Election des Papes, compoſé par* M. B. & imprimé

mé à Paris 1604. Liber rarior, qui varia notatu haud indigna continet. Ejus recensionem brevem dat Cl. MAICHELIUS in *Lucubrationibus Lambethanis* p. 127. sq.

BISCIOLÆ (*Lælii*) *Horæ Subcesivæ*, sive Explicationes & emendationes Variorum auctorum tam Græcorum quam Latinorum. Ingolst. 1611. fol. Lib. rarus dicitur in Bibl. Albini n. 210. p. 18.

BISMARCI (*Joh.*) *Vitæ & res gestæ Theologorum præcipuorum* &c. Halæ. 1614. 4. Opus infrequens & non facile obvium, teste WITTENIO in præfat Memor. Theolog. decade I. p. 17. complectitur autem XXV. Theologorum Wittebergensium vitas à se & aliis elucubratas & uno fasciculo collectas. v. *Biblioth Reimm.* p. 157.

BLANCCUCII (*Benedicti*) *Indices tres observationum Miscellanearum*, variarumque lectionum, quibus Veterum scripta partim emendantur, partim illustrantur. Rom. 1595. 4 Est liber rarissimus, uti vel ex epistolis Grævii & Heinsii mutuis colligitur, *a*) quippe

 quo-

a) vid. Syllog. Epistolar. à P. BURM. editar. T. IV p. 249. ubi GRÆVIUS ad N. Heinsium ita: „ Vidistine Q. *Marii Mat-*

quorum neuter eum oculis uſurpaſſe videtur: Extat vero is in Bibliotheca *Bremenſi* publica.

BLESDYKII (*Nic.*) *Hiſtoria Davidis Georgii* &c. Daventr. 1642. 8. Erat auctor ipſius *Davidis* (vulgo *Joris* dicti) gener; fatorum, dogmatum, morum, bellorum, ſchismatum & arcanorum ejus Sectæ ita conſcius, ut deinceps ad frugem redierit, hancque doctrinæ & vitæ, raro obviam, conſignaverit Hiſtoriam.

BLONDI (*Flavii*) *De Roma triumphante* Libri X. Pariſ. 1533. 8. Rari. vid. *Bibl. Miſc. Hamb.* T. III. p. 574.

BOCCATII (*Joh.*) Genealogia Deorum, cum annotat. Jac. Micylli. *Idem* de montium, ſylvarum, fontium, lacuum, fluviorum, pagorum & marium nominibus Baſil. 1532. fol. Lib. rar. in Biblioth. Albini p. 18.

BOCCHI (*Achillis*) Symbolicæ quæſtiones. cum figuris. Bonon. 1574. fol. Lib. rariſſimus in Bibl. Albini p. 46.

BOL-

„ *Mattii* libros opinionum, & *Benedicti* „ *Blancucii* Miſcellaneas obſervationes. „ Cui deinde reſpondet HEINSIUS l. c. p. 252. „ Q. *Marii Mattii* libellos duos „ criticos diverſa editos forma poſſideo, „ *Benedicti Blanccucii* Miſcellaneas ob- „ ſervationes nec videre memini, nec ubi „ terrarum in lucem ſint emiſſæ ſat ſcio. „

BOLDUCIUS (*Jac.*) de Oggio Christiano Lugduni 1640. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 73.

BOLSECI (*Hieronymi*) Historia *Joh.* CALVINI, jure liber admodum rarissimus, quem paucis videre contigit, præeuntibus aliis vocatur à Cl. VOGTIO p. 129. Ejus tamen, eôdem agnoscente aliquot editiones prodierunt. Mihi ad manum est Coloniensis apud Ludovicum Alectorium & hæredes Jacobi Soteris 1580. in 8. In aversa paginæ facie comparet Calvini effigies cum hac Epigraphe: Joannis Calvini Hæresiarchæ funesta effigies. Subjungitur deinde dictum Petri 2. *Ep. II. Novit Dominus pios de tentatione eripere* &c. Cæterum, quam suspectæ fidei autor Bolsecus fuerit, docuit BÆLIUS in Dict. docuerunt alii. Ipsos quin etiam cordatiores inter Romanenses talium nugarum pudet. Immo eorum nonnulli non possunt non debitam Calvino castitatis & sobrietatis laudem tribuere. Mirum interim non est, Viros magnanimos, qui tanto cum successu Babylonem debellarunt, irritasse crabrones. Hinc Cochlæum Lutherus, Bolsecum Calvinus Angelum Satanæ est expertus, alii alios. M. H.

BONAVITI (*Marci Mantuæ*) Obſervationes legales. Venet. apud Jo. Gryphium 1545. 8. Lib. rariſſ. Bibl. Alb. pag. 202.

BOTEREI (*Rodolphi*) in Magno Franciæ Conſilio Advocati *Commentariorum libri ſeptendecim de rebus in Gallia ac pæne toto orbe geſtis ab Anno* 1594— *ad ann.* 1610. *Pariſiis* 1610. 8. 2 *Voll.* In hiſce commentariis (ſunt vero ii rariores, uti ex *vita Caſauboni* addiſcitur pag. 17.) omnem fere vitæ rerumque ab Henrico IV. geſtarum ſeriem habemus: Eſt ceteroquin non lenis auctor ſed mordax adeo in Reformatos, ut nil ſupra, quippe quos ipſe pro more ſeculi *Novatores* vocat; ac livida invidia infectus, uti patet ex ejus *deſcriptione Th. Bezæ* viri ſanctiſſimi. vid. Cl. ALMELOVEEN in Vita Caſaub. l. c. Scripſit idem ceteroquin & *Hiſtoriam urbis gentisque Carnutum.* Pariſ. 1624. 8.

BOVILLI (*Caroli Samarobrini*) Doctoris Sorbonici *Epiſtolæ* jam à Rev. Vogtio pag. 134. in rariorum librorum cenſum referuntur, Sed *Magnus* CRUSIUS Vir Cl. in diſſert. Epiſtolica ad Chr. Wormium pag. 49. etiam commemorat Ejusdem *Quæſtionum Theologicarum Libros* VII. quibus adjuncti ſunt Ejusdem Dialogi duo *de Trinitate*, ad *Jacobum*

cobum Fabrum Stapulenſem Præceptorem ſuum, Impreſſ. prelo Aſcenſiano A. 1513. in folio.

BOXHORNII (*M. Z.*) Syntagma poëtarum Satyricorum minorum de corrupto reipublicæ ſtatu A. 1633. 12. vid. Rev. VOGT. Catal. p. 464. ſub. tit. POETÆ.

BRANTOME. Memoires de Meſſire de Pierre de Bourdeille Seigneur de BRANTOME contenans Les Vies des Hommes Illuſtres & grands Capitaines etrangers de ſon temps. Leid. 1666. 12. T. II. *Ejusdem* Les vies des hommes illuſtres & grands Capitaines Francois de ſon temps. ib. 13. T. IV. *Ejusdem* Les Vies des Dames illuſtres de France de ſon temps. Leide 1665. 12. *Ejusdem* Les Vies des Dames galantes de ſon temps. Leide 1666. 12. T. II. Autorem iſtum rarò alias obvium ſæpe citat BÆLIUS in Diction. Conferri quoque debent, quæ de eo habet COLOMESIUS Opp. edit. Fabric. pag. 841. 842. Elucet in his commentariis nativus quidam veteris illius linguæ Gallicæ lepos, & notitia curioſa plurimarum rerum in aulà Gallicà geſtarum, multæque occurrunt hiſtoriæ arcanæ, in voluminoſis aliorum operibus vix inveniendæ; Major tamen regnaret ἀκοι-

βεια, nisi auctor jam grandærus, labili memorià fretus calamum arripuisset. Sed Commentarius ejus de Feminis impudicis, quas ipse forsan ex primis *Dames Galantes* vocavit, ob patefacta plurima Veneris Eleusinia, quibus castos oculos animosque offendit, qui legatur, indignus est, etsi reliquos ejus commentarios raritate superare videatur. M. H.

BRACELLIUS (*Jac.*) de bello Hispaniensi. de claris Genuensibus &c. Paris. 1520. 4. vid. Bibl. Albm. p. 64.

BRASSICANI (*Jo. Alex.*) Παν, omnis. Auctor Poëta erat & Orator à Cæsare laureatus; formulis Anselmianis. 1519. 4. Auctor iste Ulricum HUTTENUM imitatus, cujus Ουτις notus est, hoc carmen pro illa temponem ratione non inelegans composuit. M. H.

BREMEN. Der Erentrichen Stadt BREMEN Christlike Ordeninge ná dem hilligen Evangelio thom gemenen nutte sammt etlicker christlicker lere erer Predicanten. Gedruckt tho Magdeborch dorch Michel Lotther 1534. in 12. 10 Bogen. Libellus rarissimus vel in ipsa urbe patria Bremensi v. SALIG Hist. Aug. Confess. T. III. pag. 717. Quanquam tria tamen ejus exemplaria mihi apud amicos Bremenses sint visa & manibus tractata. Est verò notandum,

dum, in hoc libello ſub auſpiciis *Johannis* BUGENHAGII Pomerani (cujus & præfatio extat præmiſſa) compoſito, *partim* rigidiorem Lutheranorum ſententiam de præſentia reali corporis Chriſti *in*, *cum*, & *ſub* ſpecie panis & vini, rudibus admodum verbis proponi, vid. pag. 46. b. pag. 30. a. unà cum *orali* manducatione *corporis* & *ſanguinis Chriſti* p. 32. a. *partim* verò, vehementioribus verbis denigrari eos, qui nec oralem illam manducationem ſtatuunt, nec Chriſti corpus adeſſe poſſe ſpeciebus panis & vini contendunt; Quippe, quos non ſolum videmus dici *Sacramentarios*, ſed & comparari *Anabaptistis Monaſterienſibus*, & ſeditioſis quietis publicæ turbatoribus, uti admodum invidioſè *Papiſtæ* cum his conjunguntur, quando p. 35. a. dicitur: *Alſo helpet de eine Duvel dem anderen unde mogen wol beide Sacramentſchender heten: Genne* (de Papiſten) *vorvört venter & ambitio*, *Deſſe* (de Sacramentiſten) *bedreget*, *frouwe hulde*, *des Duvels hore*, *ere egen vornuft*, *minſchen Klockheit unde gedanken.* Ne multa commemoremus alia, ex quibus conſtat; quam rigoroſum illud *Edictum*, tum adverſus Zwinglii aſſeclas editum, non tam Magiſtratum, quam ipſos Paſtores Lutheranos habeat auctores, &

 quam

quam illud ipſum tamen, minimè concernat, vel poſteriorum temporum *Reformatos*, vel *Alb: Hardenbergium*, & alios, qui, quam longè abſuerint ab illis characteribus, luculenter conſtat.

BRETON (*Raimundi*) Catechismus Caribano-Gallicus: Eum licet rariorem, inter ſuos numerabat *Jo. Chriſtoph. Wolfius.* v. Theſ. Epiſt. la Croz. T. II. p. 236.

BRINVILLIERS (*la Marquiſe de*) v. NIVELLE.

BROUWERI (*Chriſtoph. Soc. Jeſ. Presbyteri*) *Fuldenſium Antiquitatum libri III.* Antwerp. 1612. 4. conſtat 2. Alphabetis. Erat Auctor Arnhemio-Gelrus, in omni hiſtoria & elegantiori litteratura verſatiſſimus, cujus uti omnia ſcripta ſunt rara (v. SCHELHORN. Amoenit Liter. T. II. p. 346.) magnique ſemper æſtimata ab eruditis, ita inter hæc non minimum eſt hoc *Fuldenſium Antiquitatum* opus, quod multa continet egregia, quæ præter Fuldenſis Monaſterii Hiſtoriam, diverſas Germaniæ antiquitates oppido illuſtrant. In catalogo Biblioth. Haſæanæ p. 310. *Libri rari* titulo hoc opus inſignitur.

BROWNISTARUM Confeſſio. Integer titulus ita ſe habet: Belydeniſſe des Geloofs, ofte Verantwoordinghe van ſoodaanighe Chriſtenen, welke doorgaans

gaans (doch t' onrecht) Brownisten genoemdt woorden tegens d' aanteygingen, die hun van d' Opperhoofden en Leeraaren in de Hooge School van Oxfort te laste geleyt worden, in hun antwoord op d' ootmoedige Versoek-bede van de Predikanten van Engeland: Versoekende de hervorminge van sekere ceremonien en misbruyken in de Kerke. Amst. 1670. in 8.

Horum autem Brownistarum auctor non est famosus ille Thomas Brown, qui librum de Religione Medici, laudatum ab his culpatum ab illis scripsit, uti quidam, sed falsò, sibi persuadent; verum, ROBERTUS BROWN, qui antea Londini Minister erat, postea sectam hanc constituit, denique, uti quibusdam videtur, ad Ecclesiam Anglicanam reversus est.

BRUCCIOLI (*Antonii*) *Biblia S. V. & N. T. in linguam Toscanam translata* Venetiis 1532. 4. Videmus à communi aliorum Catholicorum ratione recessisse hujus versionis auctorem, (cum non Versionem Vulgatam sed Hebraicam veritatem & cumprimis Pagnini versionem fuerit secutus,) ea propter virgula censoria notatum a Pontificiis, atque in prohibitorum librorum numerum relatum, docente RICH. SIMONIO in Hist.

Histor. Crit. Vet. Test. L. II. c. XXII. p. m. 333. & J. le LONG in Biblioth. Sacr. P. II. p. 125. 126. Quæ & ratio est, quod inter rariores libros connumeretur hæc translatio. Ceterum & cum Commentariis ejusdem, & Epistola ad Renatam Galliæ, Ferrariæ Ducissam, eadem hæc Versio prodiit 3. Voll. fol. Venetiis apud Bartholomæum Zanettum 1540. *Hæc inter ceteras Bruccioli translationis*, (sunt verba SIMONII in Disquis. Crit. cap. 29. p. 193.) *editiones utilissima videtur, quia in ea reperiuntur notulæ non omnino contemnendæ, cum epistola ad Renatam Franciæ, Ducis Ferrariæ tunc Conjugem, in qua pluribus Author contendit, damnandas non esse SS. Versiones lingua vernacula editas, easdemque miris modis extollit.*

BUCERI (*Martini*) uti omnia *scripta*, cumprimis quæ dicuntur *Anglicana*, recte jam notante Rev. VOGTIO p. 149. & 150. sunt rariora, ita cumprimis in hunc numerum recensuerimus, Ejus Tractatum, *De vera Ecclesiarum doctrina, ceremoniis & disciplina reconciliatione & compositione ad Albertum Pighium.* Argentorat. 1542. 4. Porro, Ejus librum *Von der Wahren Seelencur*, Strasburg 1538. de quo SCHELHORNIUS, in Amoenit Literar Tom. V.

p. 261.

p. 261. Itemque Tractatum, ſub tit. *Conſtans defenſio ex SS. &c. de Chriſtiana Reformatione Hermanni Epiſcopi Colonienſis* Genev. 1613. 4. Quæ tantæ raritatis eſt Apologia, ut vel ex *Seckendorffii* Hiſtoria Lutheranismi Lib. IV. §. 32. edit. Germ. p. 2201-2225. (ubi Buceri ſcripta enarrantur,) conſtet, nec SECKENDORFIUM, nec ejus Metaphraſten JO. FRICKIUM hanc unquam oculis uſurpaſſe. *v. Reimm. Biblioth.* p. 847.

BULLOCI (*Georgii Theol. Prof.*) Oeconomia methodica concordantiarum Scripturæ S. Antverp. 1572. fol. Ex officina Chriſtophori Plantini. Hujus libri pretioſitas & raritas laudatur à Doct. HARENBERGIO in Biblioth. Miscell. Hamb. T. III. p. 571.

le BUY (*Jonæ*) *Commentarii in Apocalypſin.* Laudantur à Viro ſummo Sam. BOCHARTO in Hierozoic. Opp. Tom. II. l. 3. c. 6. fol. 770. appellante Auctorem Virum eximium & harum rerum callentiſſimum. Eſt vero nullum amplius dubium, quin *Petrus* LAUNÆUS eorum ſit Auctor. conf. PLACCII *Theatrum Pſeudonymorum* fol. 493.

Der BYEN-*boek.* 2 Deelen het eerſte Deel van de Prelaten; het ander van de onderſaten in Swol. 1488. fol. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 261. dicitur.

CÆ-

CÆSARII (*Joh. Pauli*) Poëmata & Orationes. Venet. 1562. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 261.

CAILLI (*Petri*) Profeſſoris Cadomenſis liber, cui titulus, *Durand Commenté* rarus appellatur in Ep. LEIBNITII ad D. E. Jablonskium, vid. *Briefwechſel* pag. 29. itemque à PFAFFIO in diſputatione Anti-Touttæana &c.

CALVINI (*Joh.*) Inſtitutiones Religionis Chriſtianæ in linguam *Hiſpanicam* verſæ â Cypriano de Valera. 1597. 4. Liber rarus, cujus poſſeſſor eſt Vir Rev. J. H. Gronau V. D. M. Berolinenſis, ſive potius, Friderico-politanus.

CAMERARII (*Joachimi*) *Hiſtorica narratio de fratrum orthodoxorum Eccleſia in Bohemia* &c. Heidelbergæ 1605. 8. Eſt rariſſima, & variorum opusculorum rariorum de rebus Eccleſiaſticis Majoris & Minoris Poloniæ, exhibet collectionem, hiſtoricæ narrationi Camerarii ſubjunctam. Inter quæ ſunt *Eſromi Rudigerii* narratiuncula de fratrum eccleſiis in Bohemia & Moravia. Vita & mors *Johannis Huſſi* Bohemi, ex actionibus & monumentis martyrum. De ultimo ſupplicio *Hieronymi Pragenſis* ex iisdem actionibus martyrum: De ejus-

dem

dem ſupplicio epiſtola *Poggii Florentini* ad *Leon. Aretinum*, hujusque ad illum reſponſio. Oratio *de Huſſiticis motibus* recitata publice Wittebergæ à *Michaële Slavata* Barone Bohemo: de origine Eccleſiarum *Bohemicarum*, & de confeſſionibus ab iis editis narratio &c. v. SAGITTAR. Introd. in Notit. Script. Hiſt. Eccleſ. T. II. p. 261. 262.

CAMERARII (*Joach.*) *Commentarii utriusque linguæ, Græcæ* ſcil. *& Latinæ* Baſil. 1551. fol. dicitur Liber rarus in Bibl. J. Albini p. 11. n. 133.

—— *Notatio figurarum ſermonis in libris quatuor Evangeliorum*, itemque *in Apoſtolicis ſcriptis. Acceſſere in librum* Πραξεως & Αποκαλυψεως notæ. Lipſ. 1572. 4. „ Ces notes eſtojent devenues extreme- „ ment rares, inquit COLOMES in Bibl. choiſie p. 213. inter opuſc. Colomes. p. 497.

CAPELLA (*Galeacius*) de Bello Mediolanenſi ab A. 1521. usque ad ann. 1530. Antv. 1533. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 204.

CAPILUPORUM Carmina Romæ 1590. 4. Liber rarus dicitur, in Biblioth. Albini pag. 54. Sunt CAPILUPORUM, *Camilli*, *Hippolyti*, & *Lælii*, Fratrum nomina, inter Poëtas Italos & quidem Mantuanos Seculi XVI. cele-

ber-

berrima. Prior ille, *Camillus*, inter alia *Stratagematis* titulo libellum publicavit Romæ A. 1572. quo cumprimis ſeriem factæ lanienæ Pariſienſis enarrat, atque omnia jam ab initio, certo Regis & Reginæ conſilio, aſtu ac ſolertia, ordinata & compoſita enarrat; Quæ relatio tamen ita non placuit aulicis Pariſienſibus ut hi, quidquid tum factum eſſet, ex occaſione tantum natum, neque ante præmeditatum aſſererent, teſte THUANO Hiſt. Lib. LIII. n. IV. fol. 152. 153.

De *Lælio* autem *Capilupo* & ejus Centonibus Virgilianis ita THUANUS Lib. XXVI. n. XXVI. fol. 72. refert: „ Eum tanta felicitate Maronis „ conterranei ſui verſibus detorta ſignificatione luſiſſe, ut Auſonii & Probæ Falconiæ, atque aliorum qui in „ ſimili argumento ſe exercuerant, laudem prorſus obſcuraverit, in longè „ diverſa à Virgilii mente matéria verſatus; præter alios, uno & altero elegantiſſimo centone, de Monachorum „ origine, vita, inſtitutis, ſacrorum „ ritu, & de morbo Gallico, de quibus rebus nunquam Virgilio venire in „ mentem potuit, concinnato. „

CAPI-

CAPITONIS *a*) (*Wolfg. Fabricii*) Enarrationes *in Habacuc*. Argentinæ 1526. 8. *Auctor infrequens* appellatur à REIMM. in Biblioth. p. 430. Laudat *Capito* in præfat. p. 6. ſuum quoque *in Malachiam* commentarium, ſed quem vix ullibi repertum iri exiſtimaverim; Sunt omnia ejus Opuſcula rariora, nec niſi in vetuſtiſſimis iisque probe inſtructis Bibliothecis obvia. Eſt, mihi ad manus opuſculum egregium, quod is A. 1535. conſcripſit, ſub tit. *Reſponſio de Miſſa, Matrimonio & Jure Magiſtratus in Religionem. D. Wolfgango Capitone authore*, cum præfatione ad Henricum VIII. Angliæ & Franciæ Regem, Dominum Hiberniæ, ſummum in terris Eccleſiæ Anglicanæ caput; Argentorati per Wendelinum Rihelium menſe Martio 1540 8.

Conſcripſit is ceteroquin *Joh Oecolampadii* vitam, itemque in *Hoſeam* commentarios, quos MART. BUCERUS in Præfat Comment. ad Epheſ. A. 5. *haudquaquam vulgares* appellat. Erat autem BUCERI apud Argentinenſes collega CAPITO, vir omnium judicio eximius, ut mirari ſatis non poſſimus,

D quo-

a) De ipſo Auctore, pereximio inter Reformatores Theologo, egimus in Introductione ad Hiſtoriam Reformations §. LV. pag. 117. ſeqq.

quomodo tam tenuiter de eo ſenſerit V. E. LOESCHERUS in Hiſtor. Mot. L. I. c. IV. p. 140. 141. ut Sandio quoque homini Arrianis erroribus imbuto, frigidam ſuffundere videatur, qui præter rem, Theologum hunc de puriori cœtu præclare meritum, in Anti Trinitariorum cenſum primo loco retulit, ut ſcilicet, (egregie monente in *Amoenitat. Hiſt. Eccleſ.* T. II. p. 25. doctiſſ. SCHELHORNIO) Antitrinitariorum numerum præſtanti aliquo ac celeberrimo viro augeret. Cæterum, juvat hic eximium commemorare de W. F. CAPITONE noſtro teſtimonium JOH. STURMII in Epiſtola, Buceri operibus Anglicanis 1577. fol. editis præmiſſa, ubi is ad *F. Walſinghamum* Eliſabethæ Anglicæ Secretarium, ita: *Urbs noſtra*, (dicit de Argentorato) *ſi quando alias unquam, tum maxime floruit, cum in Scholis & concionibus noſtris principem locum tenerent Wolfgangus Fabricius* Capito & *Martinus* Bucerus & *Caſpar* Hedio: *quorum ætate primus* Capito *fuit: eo natu minor paulo* Bucerus, *tertium locum* Hedio *tenebat. Et* Capito *linguarum cognitione magnus erat. Sed proximus ei erat* Bucerus. Hedionem *Hiſtoriæ & Antiquitatis memoria commendabat, & popularis concionator erat,*

etiam

etiam Optimatibus in Senatu, & Nobilitati ejus conciones placebant. Capitonis *doctæ illæ quidem sed non aptæ auribus populi & plebis præcipue*, Bucerus *doctis & literatis hominibus gratior* &c.

CAPONSACCHII (*P.*) Obſervationes in Apocalypſin. Florent. 1572. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 80.

CARI (*Roderici*) *Antiquitates Hiſpalenſes:* Ejusdem *Manes antiquorum Hiſpaniæ Deorum.* Horum librorum raritatem nos edocet Cl. MOSHEMIUS in Epiſt. ad Mat. Veyſſ. de la Croze. vid. Theſ. Epiſtol. T. I. p. 296. 299. 300.

CARACCII (*Hannibalis*) Cremona fideliſſima cum figuris æneis Cremonæ 1583. fol. Lib. rariſſimus in Bibl. Albin. p. 25.

CARAFFA (*Thom. Mar.*) è Societate Jeſu, *Chiliadem Theſium Theologico-Philoſophicarum*, edidit circa principium ſuperioris ſeculi, quam Pontifici Paulo V. cui cum Venetiarum Republica tum res erat, dedicavit, ampulloſa hac uſus Inſcriptione: PAVLO V. VICE DEO, *Chriſtianæ Reipublicæ Monarchæ invictiſſimo & Pontificiæ Omnipotentiæ Conſervatori acerrimo.* Ea res uti non ferenda erat Viris Doctis, ita *Gul.* BEDELLUS, (de quo jam ſub voce *Bedelli*) qui tum Venetiis commorabatur, Henrici Wottoni Legati Anglici comes, &

Capellanus, eâ offensus, pro egregia qua pollebat animi præsentia, mox è primis dictæ Inscriptionis verbis, ope literarum numeralium eruit numerum bestiæ Apocalypticæ DCLXVI. Id cum amico suo *Paulo* SARPIO communicasset, atque hic tanquam rem omine non carentem ad Ducem & Senatum pertulisset, tantum, prout facies illorum temporum erat applausum meruit, ut non solùm ubivis per territorium Venetum suggesta passim id personarent, sed & idem rumor Italiam reliquam, aliaque loca latè pervagaretur; Ad quem tantocyus reprimendum Pontifex dicitur ubique per emissarios suos tum divulgasse, „ Antichristum nu-„ per Babylone in lucem editum esse „ è tribu Dan, & jam in eo occupa-„ tum, ut vasto exercitu collecto Chri-„ stianos debellaret, curandumque ade-„ ò horum Principibus esse, ut co-„ pias adversus tantam invasionem pa-„ ratas haberent: „ consultum ita judicans, hâc fabulâ famam ex intempestivi adulatoris nugis periculosè subnatam dissipare, priusquam latius serpens graviora sedi Romanæ incommoda cieret. vid. BURNET. in vita Bedelli pag. 12. 13. & *Acta Eruditor.* 1686. pag. 244.

CA-

CAROLOSTADII (*Andreæ Bodenstein*) Scripta omnia sunt infrequentia atque rarò in instructissimis quoque bibliothecis conspicua; Quænam Viri præclari, atque ipsius *Lutheri* in Academia *Vitebergensi* Promotoris, & Collegæ, in Opere autem Reformationis Socii, fuerint fata, alio tempore discutiemus: Nunc tribus solummodo verbis quædam ejus indicamus scripta, quorum egregium plane numerum *Bibliotheca* asservat *Cyprianica:* Inter ea vero præcipuè eminent.

1. Ejus *Explicationes super Augustini librum de Spiritu & litera.* Witeb. 1518. 4. De quo libro LUTHERUS ad Georg. Spalatinum ita: *Incipies* inquit, *si mea tibi placent studia B. Augustinum de Spiritu & litera, quem jam noster* CAROLOSTADIUS, *homo studii incomparabilis explicavit miris explicationibus & edidit.*
2. Ejus theses, *von Papstlicher Heyligkeit, dass sie alzuviel irren kan.* Witeb. 1520. 4 v. Bibl. Cyprian. p. 292. De hisce thesibus Lutherus Epist. Tom. I. pag. 284. b. *Carlstadius*, inquit, *& ipse jactâ aleâ, in Pontificem Romanum cornua sumit.*
3. *De Canonicis Scripturis* Witeb. 1520. 4. Credibile est B. LUTHERUM, qui vel

tum jam contradicentes facilè ferre non potuit, jam inde ab hujus libelli quem præ manibus habemus, editione, non admodum favisse Carolostadio, ut deinceps commodiorem, uti videbatur, ansam nactus, tanto majori cum zelo in ipsum surrexerit:

Enimverò in hoc libello, Carolostadius certas & *tres* quidem *Canonicorum* librorum *classes* effingit, ita ut classis *primæ* libri majoris, *secundæ* minoris, & *tertiæ* minimi sint pretii & auctoritatis: Quæ, licet ex vero non sint, non erat tamen, cur Cel. LOESCHERUS hanc quoque Carolostadii sententiam sigillatim sugillaret in Historia Motuum P. I. c. I. p. 14. cum ipse LUTHERUS itidem in præfatione editionis I. & II. Versionis Novi Testamenti Germanicæ distinguat inter libros N. T. *majoris & minoris pretii*, quinimò *Epistolam Jacobi* disertè *stramineam* esse *Epistolam* pronunciet.

Est autem, memorabile illud quod in hoc ipso Scripto, *pro Authentia Epistolæ Divi* JACOBI habet *Carolostadius*, testimonium, in quo latenter ipsum *M. Lutherum* hanc Epistolam ex Canonicorum librorum numero expungere conantem pungit, suamque ita profert sententiam, atque sat solidis pro illo-

illorum temporum captu, munit argumentis: liter. M. M. 2. & M. 3. „*Jacobus*, qui appellatur frater Domini
„ cognomento juſtus, poſt paſſionem
„ Domini ſtatim ab Apoſtolis Hiero-
„ ſolimorum Epiſcopus ordinatus unam
„ tantum ſcripſit *epiſtolam*, quæ de
„ ſeptem catholicis eſt, quæ & ipſa
„ ab alio quodam ſub nomine ejus e-
„ dita aſſeritur. Licet paulatim pro-
„ cedente tempore obtinuerit autorita-
„ tem. *Hieronymus* in libro de ſcrip.
„ Eccleſiaſticis de epiſtola Jacobi ſcrip-
„ ſit.

„ Sunt autem, qui verbis illis adeo
„ moventur, ut audeant totam epiſto-
„ lam repudiare, atque ignoro quot
„ tripudiis palam repudiant, *quibus opi-*
„ *nor nulla ſeveritas eſt nimia*, *nullum-*
„ *que judicium poteſt eſſe non candidum*,
„ trahuntur illi verbulis Hieronymi per-
„ paucis eam in partem, ut totum ſa-
„ ne Jacobi epiſtolium velint faſtidiri,
„ ſcripſit quædam Jacobus de operibus
„ & fide, quæ in Paulo, in Evange-
„ liis, in prophetis, niſi conniveamus,
„ cernere cogimur, tantum illis abji-
„ ciendorum codicum eſſe jus volunt,
„ tantamque poteſtatem, ut nulli ſint,
„ *quos nullos velint*, atque ſtatim om-
„ nia in falſum vertantur, quæ *ipſi ſuis*

„ *naribus non* admodum *bene olere* autu-
„ mant, scripsit Paulus ad Rom. II.
„ *Auditores legis non sunt justi apud*
„ *Deum, sed qui legem factis expri-*
„ *munt* hoc nemo audet carpere, &
„ eo minus audetur, quod Paulus gra-
„ tos habet interpretes. Verum quan-
„ do in Jacobi epistola quiddam illi no-
„ tis omnibus simile ostenditur, dici-
„ turque, Judicatur statim & condem-
„ natur, atque dedocendum ajunt to-
„ tum epistolium. *Bone Deus quid non*
„ *potest iracundia?* Illud scio semper
„ fuisse hostibus peculiare penes invisos
„ damnare, quod in amicis laudant,
„ itaque facile commutatur cum auto-
„ ritate veritas, si adversariis, clam
„ mordentibus committitur. At quæso
„ si fas tibi fuerit dicere, mallem ego
„ propter malum intellectum epistolæ
„ Jacobi totam epistolam repudiare,
„ quam ejus sensum contra Paulum si-
„ nere torqueri? vel magis vellem ne-
„ gare epistolam, quam Glossis curio-
„ sis defendere? *Precor frater nunquid*
„ *idem de scripturis universis, te sequens,*
„ *possum dicere? Sed hæccine ad Sacras*
„ *literas reverentia?* Nunc autem si jus
„ est ita loqui malas ob argutias de Ja-
„ cobi epistola. Eadem temeritate po-
„ testatem accipiam, tam fœde & sæ-

„ ve

„ ve de sancta Dei lege, de Evangeli-
„ cis literis garrire, sed absit, absit
„ ut in hanc labar petulantiam. Levi-
„ culis rationibus extuberant negantes
„ epistolam, quas diluere strictim co-
„ nabor. Una est quod dubitatur an sit
„ Jacobi Apostoli an alterius. *Bella ra-
„ tiocinatio, dubitatur de authore, ergo
„ non habet autoritatem Canonicam.* At si
„ validam contendis, consequitur E-
„ vangelium Marci posse repudiari,
„ quoniam non nulli illud Petro, qui-
„ dem vero Marco tribuunt. Denique
„ respuemus eodem jure plures Cano-
„ nicos codices, ut licet ex superiori-
„ bus colligere. Præterea si illis opina-
„ ciuncula Hieronymi dubitantis pla-
„ cuit, cur idem non oblectat eos di-
„ cendo quod procedente tempore ob-
„ tinuit authoritatem? hoc ipsi clausis
„ oculis transvolant, habuit apud ho-
„ mines, ante Hieronymi tempora au-
„ thoritatem, at nunc *apud nostrates
„ dignitatem nullam habet*, dubitat Hie-
„ ronymus, non autem pronunciat,
„ *amici autem mei audacter decernunt*,
„ nemo veterum jusjurandum ejus du-
„ bitationis finiendæ causa præstiturus
„ fuisset, *illi vero; dubito; quid non
„ facerent*, ostendant autem si possunt
„ quempiam hæreticorum qui dictis Ja-

„ cobinæ epistolæ non cesserit, qui „ non crediderat vera quæ in illa leguntur. „ tur. Adferant Ecclesiasticorum unum „ aut alterum scriptorem qui hostibus „ dixisset, ne forte neges epistolæ Ja- „ cobi dicta &c. Sed quanquam (nisi „ decipiar) illud nequeant, tamen *in-* „ *verecunde reprehendunt epistolam.* Ete- „ nim ut rursus libere, quod teneo, „ effundam, hoc derident in Jacobo, „ quod postremo concedent Christum „ dixisse, quod Paulum, quod prophe- „ tas.

„ Abutuntur quoque aliis argutiolis „ (quos sic appello, quod argumenti „ naturam minime habent) Nempe di- „ cunt, si epistola jam controversa, fuis- „ set Jacobi Apostoli, testaretur id in „ epistolæ principio, quemadmodum in „ iniciis Paulus suas inscribit epistolas „ sc. *Paulus Apostolus* &c. At episto- „ lium Jacobi non exorditur Jacobus „ Apostolus, sed tacito nomine incipit „ Jacobus Dei & domini nostri Jesu „ Christi servus, ergo Jacobus non fuit „ Apostolus. Nam quod omissum Apo- „ stoli nomen non viciet epistolam, „ ex aliis constare poterit. Aut si om- „ nino suspectam & apocrypham efficit, „ urgebuntur concedere epistolam ad „ Philemonem non esse Apostoli Pau-

„ li,

,, li, quia non legitur Paulus Apoſto-
,, lus, ſed Paulus vinctus Chriſti Jeſu
,, & infra, cum talis ſim, nempe Pau-
,, lus ſenex, ſi potens eſſet ex inter-
,, miſſo nomine argumentatio, infer-
,, rem epiſtolam ad Philemonem non
,, eſſe Pauli Apoſtoli, ſed vel Pauli
,, vincti, vel Pauli ſenis. Eadem quis,
,, cauſa ſurriperet tres alias epiſtolas
,, Paulo & ad Teſſalonicenſes epiſtolam
,, Et Johanni Apoſtolo eam, quæ in-
,, cipit. *Quod erat ab initio*, *quod au-*
,, *divimus*, ſi ocioſus eſſem permulta
,, producerem.

,, Verum ſi volunt ſibi deſervire ti-
,, tulum illis epiſtolis prænotatum, evi-
,, denter inferam & fortiter concludam.
,, Jacobi Apoſtoli eſſe epiſtolam, quum
,, inſcriptio græcanica manifeſte illam
,, ipſam Apoſtolo adſcribit, quæ talis
,, eſt Επιστολη του αγιου αποστολου Ιακωβου
,, illum ajo titulum ſecum a priſcis ſe-
,, culis ad nos attulit, cur igitur in
,, ſcriptione non moventer antiquiſſi-
,, ma? quandoquidem ex vetuſtiſſimis
,, monumentis alioqui coarguantur au-
,, tores, præſertim cum dictio non poſ-
,, ſit aliud ſuadere.

,, Ideo non licet cuiquam Chriſtia-
,, nos ab epiſtola Jacobi dehortari &
,, deſuadere, quoniam prænotatus titu-
,, lus

„ lus eam adscribit Apostolo Jacobo. „ Paterer si duntaxat de authore condubitarent, verum in alteram partem „ & maxime pessimam decurrere & „ *impudenti judicio* diutissime honorata „ proscribere, & epistolium abjicere, „ quod cum reverentia universa Ecclesia, omniumque doctissimi patres observant, atque velut divinam legem „ adciscunt sequunturque, ambigo *si* „ *licet mihi silere*, si fas sit non repugnare, *quando vinculum amicitiæ nostræ* „ *consensus est & societas consiliorum &* „ *voluntatum in Christo & verbo Dei.*

„ Porro si despecto titulo licet ex arbitrio citra sanum delectum aufferre „ libros authoribus, aut autoritatem „ ab olim demeritis adimere codicibus, dabitur fortis ansa Judæis dicendi Psalmum, *Dixit Dominus Domino meo* non esse Davidis & Christum male loquutum adversus Judæorum majores, quomodo David „ scripsit, Dixit Dominus Domino „ meo.

„ At missa faciamus hæc & eamus „ ea, quæ denique Veterum vestigiis „ insistentes, ad tribunal, in dubio „ pronunciantium, veniamus, visuri „ utrum eandem sententiam veteres & „ plurimi atque novi & paucissimi su-

„ per

„ per finienda dubitatione tulerint. La-
„ tini ſcriptores Hieronimus, Augu-
„ ſtinus, Ambroſius, & cæteri hodie
„ ſub literarum cortice pronunciant,
„ Jacobi epiſtolam eſſe catholicam,
„ canonicam, & dicta ejus veluti di-
„ vina teſtimonia tam pro erudienda
„ Chriſti plebe, quam pro ſcindenda
„ hæreticorum acie proferunt. Græci
„ quoque autores, quorum unus Cy-
„ rillus Alexrndrinus vir gravis & ſin-
„ ceri judicii ſenſa Jacobinæ epiſtolæ
„ tanquam oracula coelitus demiſſa con-
„ trectat, Is etiam quædam ex illa epi-
„ ſtola deſumens, ait. *Ita etiam dicit*
„ *divina ſcriptura* & iterum paululum
„ infra inquit, *quod Jacobus Apoſtolus*
„ *dicit ſi quis infirmatur vocet presbyte-*
„ *ros Eccleſiæ.* Cyrillus Hieroſolymæ
„ Epiſcopus qui ſub Theodoſio prin-
„ cipe tenuit Epiſcopatum divinam au-
„ thoritatem epiſtolæ Jacobi largitus
„ eſt, atque illum ipſum Jacobum vo-
„ citavit Apoſtolum. Cyrillus tantus
„ mea ſententia fuerit, cui vix unum
„ opponam ſive ſpectes in eo tropolo-
„ giam, ſive ſenſum, quem velut de-
„ poſitum reddunt literæ. Dicam bre-
„ viter, quod jamdudum ſum opinatus,
„ ſive *tres* ſive *decem* prætendas epi-
„ ſtolæ *Jacobi repudiatores*, ſuperabo
„ tam

„ tam copia veterum ſcriptorum, quam „ illorum dignitate & eruditione, quo- „ niam certius eſt Hieronymi ſuper „ ejusmodi lite, atque aliorum ejus ſi- „ milium judicium, quam *ſexcentorum* „ *noſtratium*. His pauculis jam ſit de- „ fenſa Jacobi epiſtola tanquam nihil „ minus ſit quam repudienda, plura „ vehementioraque daturus. *At id quod* „ *non poſſum rhetoricando conſequi rerum* „ *ſpiritu non deſpero me nacturum*; nolo „ tamen laceſſere quempiam, provoca- „ tus autem pro tuitione canonicarum „ ſcripturarum, tametſi non queam „ pro debito tamen pro mea virli de- „ pugnabo.„

4. *De Legis litera, ſive carne & Spiritu, enarratio* Witembergæ 1521. 4. quam *Philippo Melanchtoni* dedicavit, „quod „Paulinum pectus ex quo iſthæc efflu- „xiſſe fatetur, ipſi ita eſſet perſpectum „& manifeſtum, quo nequidem ulli po- „teſt eſſe perſpectius & manifeſtius.„ Videmus autem in hoc libello, qui unico abſolvitur quaternione, Carolſtadium de ſpiritu legis, atque de fide, qua ſpiritum legis concipimus, quædam docere non proletaria, quæque non absque ſincera animi pietate videntur eſſe ſcripta.

5. Li-

Liber: *Von Abthuung der Bilder*, *und daſs kein Bettler unter den Chriſten ſeyn ſoll.* 1522. 4. *montag nach converſionis Pauli.* Ex hujus libelli, quem ex Bibliotheca Excell. D. MIEGII, Theologi Heidelbergenſis præ manibus habemus, Epiſtola dedicatoria, ad comitem *Schlickium* apparet, quam prorſus iniqua in Caroloſtadium ſit criminatio, „ quod is poſthabita auctoritate Magiſtratus legitima, Reformationem „ Witebergenſem ſui ipſius nutu proprio ſuſceperit, circa *Miſſæ* abolitionem, & *Imaginum* deletionem; „ Enimverò in illa præfatione is hunc in modum: *E. G. gebe ich zu erkennen, das der almechtig lebendig und ſtark Got, unſerer regenten hertze erweicht, und ſein werck in inen gewirckt hat Alſo das ſie freytags nach Sebaſtiani ein notliche reformation, und ein alten löblichen Chriſtlichen gebrauch, furgenommen haben. Nemlich, das hinfür die Meſſe einhelliger weyſſ und form, in irer pfarr, ſol gehalten werden. Zum andern, wollen ſie die betriegliche bilder und ölgetzen wegnemen, und abthun, welche lange zeit auff den altaren geſtanden, wende, hohe, lufft, und vil ſtell der heuſſer Gotes frevelich beſeſſen und ingehabt haben.* &c.

In ipſo tractatu ponit has tres theſes:

1. Das

1. Das wir bilder in Kirchen unt gottes heuser haben, ist unrecht, und wider das erste gebot. Du solt nicht fremde gotter haben.
2. Das geschnittne und gemalte ölgetzen auff den altaren steend, ist noch schedlicher und teuflischer.
3. Darum ists güt, nötlich, loblich, und götlich, das wir sie abthun, und ire recht und urteil der schrift geben.

Sed deinceps sub lit. D. II. hæc verba occurrunt: *Ich hette auch gehoft, der lebendig got solt sein eingegeben werck, das ist guten willen zu abthuung der bilder volzygen, und ins eusserlich werck gefürt haben. Aber es ist noch kein execution geschehen.*

6. *Ordnung der furstlichen Stat Witteberg* 1522. *aufgericht*. 4. Quem libellum E. S. CYPRIANUS l. c. p. 272. fatetur *paucis visum, sed Carolostadii impulsu, cum Lutherus Wartburgi delitesceret, conscriptum esse*, unde & *Senatus oppidi* deinceps, superveniente Luthero, recteque monenti, (quæ verba sunt Cypriani,) morem gesserit.

7. Carlstadt: *ob man gemach fahren soll in Sachen, so Gottes willen angehn.* 1524. 4. Hoc in libello Imaginum abolitio pariter atque exustio urgetur, estque is

is totus Luthero, quanquam ejus nomini parcat, oppositus, notante CYPRIANO in Bibl. Cyprian p. 295.

8. *Wider die alte und neuwe papistische Messen.* 1524. 4. Est is quem inter quamplurima alia Carolstadii monumenta servo, libellus, itidem, sed nominatim, Luthero atque Witebergensibus oppositus.

9. *Anzeig etlicher hauptartikeln Christlicher Leere, In welchen Doct. Luther den Andresen Carolstadt durch falsche zusag und nachred verdechtig macht.* 1525. 4.

CASAUBONI (*If.*) libellus *de Libertate Ecclesiastica* Paris. 1607. 8. editus longè est rarissimus. Jac. Capellus ita de eo in assertione bonæ fidei adversus Jesuitam Rosweidum p. 17. *In Ecclesiastica antiquitate quam non esset tyro Casaubonus, docuit libro singulari de Libertate Ecclesiastica, cujus jam paginæ 264. typis erant editæ, cum Rex Henricus IV. compositis jam Venetorum cum P. R. controversiis, vetuit ultra progredi, & hoc ipsum, quod fuerat inchoatum, supprimi voluit, ut ejus pauca nunc extent exemplaria.* a) &c. v. Colomes. Opusc. p. 327.

E CA-

a) Benè tamen se res habet, quod eundem hunc tractatum rarissimum deinceps editis à se Casauboni Epistolis inseruerit Cl. ALMELOVEENIUS.

CASTELLUS (*Petrus*) de abusu circa dierum criticorum enumerationem. Messinæ 1642. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini pag. 207.

CASTILIONÆI (*Bonaventuræ, Mediolanensis,*) Gallorum Insubrum antiquæ sedes. Mediolani 1541. 4. Lib. rariss. in Bibl. Albini p. 103. Quem eapropter Thesauro Italiæ inserendum rectè censuit *Jo.. Ge.* GRÆVIUS Tom. I.

CATALOGUS *Hæreticorum Romæ conflatus* 1559. continens alios quatuor Catalogos, qui post decennium in Italia, nec non eos, qui in Gallia & Flandria post renatum Evangelium fuerunt editi, *cum annotationibus Petri Pauli* VERGERII Phortzhemii 1560. 8. Libellus rarissimus, quem P. P. Vergerius, cujus ante paucos annos vitam & fata luculenter erarravit CL. SALIGIUS in Hist. Aug. Confess. Tom. II. p. 1148. & seqq. edidit: Notatu dignum est (1) quod in his catalogis, *Episcopi* quidam & *Cardinales, & Æneas Sylvius* ipse, hæreticorum turbæ immisceantur. (2) quod *Erasmi* N. T. a Leone X. probatum in Indicibus hisce rejiciatur, (3) quod Typographi etiam infami hæreseos crimine notentur, & (4) quod denique ipse quoque *Hadrianus VI.* atque ejus commonitorium *de necessitate Reformationis*

tionis atque de *emendatione Cleri*, quod is Noribergæ 1522. per Legatos suos proponi curaverat Germanicæ nationi, una cum *C. Gravaminibus*, quæ tum Legato Ponificio per Germanos exhibebantur, in indicem Librorum prohibitorum, relata legantur. conf. SALIG. l.c. p. 1169. 1170.

CATECHESIS *Heidelbergensis* translatio in Linguam *Hispanicam* commemoratur PAREO in Histor. Palatina pag. 263. quando ait: „ Laboratur quoque „ apud Belgas de eadem in Hispanicam „ linguam transferenda, ut in India „ occidentali usui esse possit. „

CATECHESEOS *Racoviensis* cum Cl. Vogtius mentionem injecerit, tum alia quædam hic commemoranda nobis est *Catechesis unitariorum in Polonia*, Catechesi Racoviensi tempore prior atque ipso opere rarior, cujus titulus hic est: *Catechesis & Confessio fidei cœtus per Poloniam congregati, in nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi & resuscitati.* Deut. VI. *Audi Israel Dominus Deus noster Deus unus est.* Joh. VIII. *dicit Jesus: Quem dicitis vestrum esse Deum est Pater meus.* Typis *Alexandri Turobini* Anno nati Jesu Christi filii Dei 1574. 12. Absolvitur ea quatuordecim phylyris. Præfatio ita subscribitur: *Data Cra-*

coviæ in Polonia Anno post I. C. natum 1574. In ipsa præfatione inter alia: *Obsecramus* (ajunt) *& obtestamur omnes per Deum & salutem vestram, examinate isthæc sedulo ad normam divinorum oraculorum & fugite* à fide Babylonica & vita Sodomitica, ingressi in arcam Nöe 1 Pet. 3. *Dominus enim brevi sumturus est supplicium, de isto scelerato & ingrato mundo, per ultimum non aquæ sed ignis diluvium* &c. Cæterum notari meretur omnia responsa *verbis Scripturæ* hic exhiberi, exemplo tanto pejus ad fallendum composito, quantò ipsa Scriptura S. ita in errorum patrocinium adducitur, ipsæque quæstiones pestiferæ sæpius tanquam ex scriptura haustæ incauto lectori proponuntur. Dedit verò hujus libelli formam atque rationem nobis brevem Cel. MOSHEMIUS in Institut. Hist. Ecclef. recent. Sec. 16. Sect. 3. c. 4. pag. 316-321.

CHAMPERII (*Symphoriani*,) Lugdunensis Patritii *Mirabilium divinorum humanorumque Libri* IV. Lugduni per Jacobum Mareschal 1517. 4. v. CRUSII Epist. ad *Chr. Wormium* pag. 49.

Ejusdem Liber *de quadruplici vita* 4. v. Bibl. Sarraz. n. 1943. p. 193.

CHRISTIERNI. II. Regis Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ &c. *Leges Ecclesiasticæ*

atque

atque Civiles, ab illustri Viro, Petro *Joh.* RESENIO editæ Hafniæ 1684. 4. Liber non ubivis obvius neque cuivis notus dicitur doctissimo FALSTERO in *Amoenit. Philolog.* vol. III. n. XXIV. p. 149. qui & non ingratam lectoribus operam præstitit, quasdam ex iis Legibus excerpendo, eàsque Latino sermone (videntur enim ipsæ Leges Danico saltem idiomate editæ) nobis subministrando.

COCHLÆI (*Joh.*) *Historiam Hussiticam* inter rariores libros jam recensuit Rev. Vogtius p. 194. Integrum Titulum libri, qui florenis 36. cum dimid. venit, habet Catalogus Bibliothecæ Sarrazianæ pag. 16. *Historiæ Hussitarum Libri duodecim per Joh. Cochlæum; quibus adjuncti sunt, duo, de septem Sacramentis* & de *cærimoniis Ecclesiæ* Tractatus duorum Bohemorum Jo. *Rokyzanæ* & Jo. *Przibram* cum Philippica septima Jo. Cochlæi de publica Caroli V. Imp. Ordinatione quæ vulgo *Interim* dicitur. Apud S. Victorem prope Moguntiàm. 1549. fol.

Ejusdem, *Confutationem* abbreviatam adv. Didymum Faventinum Philippi Melanchthonis &c. Lipf. 1534. editam, inter rariores libros recènset SCHELHORN. Am. Lit. T. VII. pag. 106.

COCHORELLA (*Bened.*) Tremitanæ, olim Diomedeæ insulæ descriptio. Mediolan. 1604. 4. Bibl. Albin. p. 119.

COLLATII (*P. Apollonii*) *Excidii Hierosolymitani* Libri IV. Lugd. 1586. 8. Sunt rariores. Eum Scriptorem à Jo. Gagnejo jam antehac Parisiis quoque editum, pro antiquo aliquo Christiano Vate habitum à viris Doctis, *Scaligero* ad Euseb. *Casaubono* ad Suetonium, F. *Jureto* ad Paulinum, *Colero* ad Tacitum, *Demstero* ad Corippum, *Meursio* in glossario Græco-barbaro, *Savarone* ad Sidonium J. C. *Bulengero* & aliis, observat C. BARTHIUS in Comm. ad Claudian. p. 795. Cum reipsa tamen vixerit in Italia circa finem Seculi XV. & plura conscripserit quæ à BÆLIO commemorantur in *Dictionario* Tom. II. v. *Collatius* qui & varias ejus libelli editiones enumerat. Conf. *Acta Erudit Lips.* 1692. p. 558. 559. ubi & ejus recensentur reliqua *Opuscula*, inter quæ Heroicum est carmen *de Duello Davidis & Goliæ* &c, quæ Mediolani 1692. 8. prodierunt, cura & auctoritate *Ant. Magliabechii*, Viri Summi.

COLONIENSIS *Reformationis* Acta & Scripta reciproca, quæ cum à Pontificiorum, tum à Protestantium partibus potissimum sunt edita circa A. 1544. & 1545.

1545. omnia esse rariora, recte observavit SALIGIUS in *Historia Augustanæ Confessionis*. Tom I. p. 541 544. ubi & præcipua eorum enarrantur: Annotaverat id ipsum jam Illustris SECKENDORFFIUS in Histor. Reform. Luth. Lib. III. fol. 437. *Ex Scriptis reliquis, occasione Reformationis Coloniensis tunc publicatis, plurima in oblivionem fere venerunt, nec facile hodie inveniuntur, typis licet olim excusa:*

COLONIENSIS Pacificationis Acta. vid. ACTA.

CONFESSIO, quam Protestantes Hispania ejecti Londini 1559. ediderunt, est longè rarissima, quippe quæ in *Harmonia Confessionum* fidei orthodoxarum & reformatarum Ecclesiarum Genev. 1581. 1612. 1654. 4. edita, desideratur: Inscribitur ea his verbis: *Confessio Christianæ fidei edita à quibusdam fidelibus Hispanis, qui propter Ecclesiæ Romanæ abusus, & Tyrannidem Hispanicæ Inquisitionis Patriam suam reliquerunt, hunc in finem adornata ut ab Ecclesia Orthodoxa pro fratribus in Christo agnoscantur.* Londini 1559. Viginti absolvitur capitibus, sive articulis, atque ex articulorum ordine & inscriptione satis apparet, quam hi Confessores cumprimis articulos XLII. à Thoma

Cranmero & Lanceloto Ridlejo confectos, qui primam Ecclesiæ Anglicanæ Confessionem ab A. 1552. post tentatam ibi Reformationem exhibent, fuerint secuti. conf. *Lessingii* disquis. histor. de hac confess. in *Analect. Literar.* T. II. p. 631. sqq.

CONRINGII (*Hermanni*) *Collectio opusculorum, quibus cum alia multa docentur, tum necessitas Reformationis Ecclesiæ Romanæ simulque Concilii Tridentini iniquitas ostenditur.* Est rarissima, Prodiit ea sub tit *Ge. Wicelii Via regia* &c. Helmest. 1650. 4. propterea quod *Wicelii* tractatus is rarissimus A. 1546. ad nutum Ferdinandi I. & Maximiliani II. Imperatorum conscriptus, primum ibi locum occuparet. Cæterum quam multa alia hic laudabili consilio esse congesta quibus in locupletissima etiam *Nicolai Coleti* Conciliorum Collectione Veneta locus concessus haud est, licet ad Historiam & Acta Synodi Tridentinæ utique pertineant, rectè jam observavit Cl. SCHELHORN. *Amœn. Historico-Eccles.* Tom. II. p. 407. sqq.

CONSTANTII (*Jacobi*) Fanensis Collectanea. Fani. 1548. 4. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 124.

CONSTITUTIONES Societatis Jesu vid. *Ignatii.*

COR-

CORDUERI (*Mosis*) *Commentatio cabbalistica*, rarò obvia teste J. C. WOLFIO in Thes. Epistol. Croz. T. II. p. 68.

CORNARI (*Jani*) *Vitis viniferæ* libri tres, lectu theologis æque utiles ac philologis jucundi. edente *Abrahamo* SCULTETO Heidelb. 1614. 8. Liber est rarior; nec facilè obvius.

CORRANI (*Antonii*) dicti *Bellerive*, Hispani, *Epistola ad Fratres Augustanæ Confessionis*, data Antverpiæ d. 21. Januarii 1567. quæ Latinè, Gallice, Belgicè atque etiam deinceps Anglicè est impressa, laudatur Ge. BRANTIO in Histor. Ref. Belg. T. I. p. 430. sq. qui & excerptum ex ea, quod ante ipsum jam BORRIUS quoque fecerat Lib. III. fol. 100. 101. nobis communicat. Est verò ea, quantum nobis constat, non amplius reperiunda. Cæterum de *Corrano*, qui paulo post ad Londinenses migravit, ibique per aliquot annos ministerio verbi functus est, atque deinceps inter Doctores Academicos Oxonienses est receptus, itemque de Scriptis ejus reliquis, & suspicione hæreseos *Pelagianæ*, qua gravatus est, itemque de ejus morte, quam A. 1591. ætatis 64. Londini obiit, latius differit Ant. WOOD in Athenis Oxoniensib Tom. I. p. 251. 252. Extat & Theod. BE-

ZÆ ad eum Epiſtola in Epiſtolis Bezæ n. LIX. pag. 248. & ſeqq. ex qua, uti & ex præcedentibus duabus n. LVII. ad *Jo. Cognatum* & n. LVIII. ad *Edm. Grindallum* datis patet, quam is in Eccleſia Peregrinorum Gallo-Belgica Londinenſi varias ſeverit lites & ſuſcitaverit contentiones, ut vix tantas mereatur laudes, quantas ei tribuere videtur UITENBOGARDUS in Hiſtor. Eccleſiaſt. Belg. Lib. III. pag. 11. & 12.

CORSI (*Rainaldi*) Indagationum Juris Libri 3. Venet. 1568. 8. Lib. rar. in Bibl. Albin. p. 198.

CORTESII (*Gregorii*) cum Epiſtolæ longe ſint rariſſimæ, vel teſte Catalogo Bibl. Albin. p. 76. juvat ipſum Titulum hic referre integrum. *Gregorii Corteſii Mutinenſis, S. R. E. Presb. Cardinalis Epiſtolarum familiarium Liber.* Ejusdem *Tractatus adverſus negantem B. Petrum Apoſtolum fuiſſe Romæ, ad Adrianum VI. Pontif. Max. duplici annexo Indice* &c. Venetiis apud Franciſcum Franciſcium Senenſem 1573. 4. Eſt liber ab Herſilia Corteſia de Monte, ipſius Corteſii ex Fratre filia dedicatus Gregorio XIII. Pontifici Romano, atque ſimul ipſius Corteſii vitam habet præfixam. Memorabilis inter alia eſt CORTESII petitio ad *Jac. Sadoletum*

pag.

pag. 75. „ Nosti, ut opinor, diris omnibus exsecrationibusque interdictum „ esse, uti ne quis Lutherianorum libros attingat. Id vero sapienter atque „ salubriter statutum est. Quare gratissimum mihi erit, si pro tua humanitate negocium hoc pro me susceperis, & confeceris, ut absque aliqua animi mei molestia, libros ejus „ generis apud me habere & legere „ possim „ &c. Veluti JAC. SADOLETI responsio, pag. ita se habet. „ Ego tuis literis acceptis, statim cum „ Pontif. Max. locutus sum de te. . . „ Quod ad rem ipsam attinet, quam „ petiisti non modo facile tibi & libenter dat, ut libros Lutherianos habere „ penes te & legere possis, verum gratissimam quoque habere se dixit hanc „ voluntatem tuam, persuasum enim „ habet, te iccirco illa legere velle, ut „ melius refellere valeas. Quare potes „ fidenter & absque ullo legum metu „ & conquirere ejusmodi libros & perlegere. „

CORVINI (*Antonii*) *Dissertatio edita sub titulo; Quatenus expediat editam recens Erasmi de sancienda Ecclesiæ Concordia opinionem sequi tantisper, dum apparatur Synodus, cum præfatione M. Lutheri.* Wittebergæ, 1534. 8. Raritatem hujus li-

libelli, quem ob elegantiam & modeſtiam laudat Lutherus, ex eo conjicere licet, quod ne ipſe SECKENDORFIUS quidem eum viderit, ſed tantum *Præfationem Lutheri* Mss. fuerit nactus, ex qua egregia quædam nobis ſuppeditat excerpta *in Hiſtor. Lutheran.* Lib. III. §. XX. fol. 53. ſq. Erat Auctor Theologus Haſſiacus, poſtea Brunsvicenſis, & cujus multa in Reformationem cumprimis Regionum *Brunsvicenſium & Hanoveranarum* ſunt merita. Scripſit hanc Diſſertationem ex occaſione libelli ab ERASMO: A. 1533. editi *de Concordia in religione*, quem cum magni facerent Argentoratenſes, qui eundem in Linguam Germanicam tranſtulerant, tum ut huic conſilio ſyncretiſtico iretur obviam, cum Lutherus tum Corvinus hoc ipſo opuſculo operam navabant: Acris admodum eſt *Wolfgangi* MUSCULI in illum Eraſmi foetum cenſura ad M. Bucerum, quam juvat excerpere. *Video Eraſmum totum in hoc eſſe, ut oſtendat extra Eccleſiæ Chriſti unitatem ſalvari neminem: quæ unitas Eccleſiæ ſi ita accipienda, ut referatur ad externam Eccleſiam, quid quæſo faciemus parti noſtræ, in qua tot fideles jam annos aliquot ab hoc ſeculo migrarunt? An forte perierunt, quia cum externa illa Romana Eccleſia una-*

unanimes non fuerunt; Placeret hoc Eccio. Tibi vero non placere certo ſcio. Non negamus, extra corpus Chriſti, ſeu Eccleſiam Chriſti, non eſſe ſalutem. Cum vero iſtud credamus, non reſpicimus ad externam aliquam Eccleſiam, certo loco collectam, ſed ad eam, quæ in electis eſt cujus caput Chriſtus eſt. Quemadmodum enim fide membra Chriſti conſtituimus, ita & fidelium per Spiritum Dei coordinatione copulatur, & regitur Eccleſia illa Chriſti unita, ſanctificata & mundata, extra quam non eſt ſalus. Non, quod illa ſalutem det, ſed quod caput habeat Chriſtum, qui ſalvator eſt corporis ſui unus, ex quo vita & ſalus in membra diffluit, quo privatum eſſe capite, omnis ſalutis eſt expertem eſſe.

Ejusdem CORVINI libellus à doct. REINBECKIO commemoratur in Conſiderat. 43. ad *Auguſtan. Confeſſ.* T. IV. p. 148. Sub titulo: *Acta Handlungen, Legation und Schriften, ſo durch den Durchlauchtigen, Hochgebohrnen Furſten und Herrn, Herrn Philipſen, Land-Grafen zu Heſſen, in der Munſterſchen ſache geſchehen, zuſammen gebracht durch Antonium Corvinum. item Geſpräche und diſputation Antonii Corvini und Johannis Kymei, mit dem Münſterſchen König, mit Knipperdolling und Krechting ehe den*

ſie

ſie gerechfertigt worden ſeyn, gehalten im Jenner 1536. qui itidem eſt rariſſimus.

COULEJI (*Abrahami*) Angli Poëmata Latina, in quibus ſex libri Plantarum, viz. duo Herbarum. Florum, Sylvarum, & unus Miſcellaneorum. Lond. 1668. in 8. Auctor quem BROCKESIUM Anglorum dicere queas, rarenter apud nos obvius, lectuque eſt digniſſimus & ob materiæ & carminis præſtantiam. M. H.

COVARRUVIA (*Sebaſt. de*) *Teſoro de la langua Caſtellana ò Eſpanola* par Don Sebaſtian de Covarruvias. Madrid. 1674. fol. Lib. rariſſimus.

COZZANDI (*Leonardi*) Brixiani, *Libri ſex de magiſterio antiquorum Philoſophorum* Genev. 1684. 12. impreſſi, rarius occurrunt equidem, ſed ita ut iis carere facilè quoque poſſimus, quippe qui ne eam quidem quam Hornius lectionis adfert copiam & varietatem, & Hornium alios exſcribentem ipſe quoque deſcribit & ejus arat vitulo, & parum affert, quod ad majorem argumento, quod tractat, lucem parandam, aptum eſt, quod prudens eſt judicium Cel. BRUCKERI in *Diſſertatione præliminari ad Hiſtor. Crit. Philoſoph.* p. 36.

CRUSII (*Martini*) *Turco-Græciæ libri octo* Baſileæ 1584. fol. Ex iis, quæ Mart.

Cru-

Crusius, utriusq. linguæ in Acad. Tubingensi Professor reliquit monumentis literariis perquam multis, propter raritatem, præcipue laudantur ejus *Annales Sueviæ*, de quibus in Catalogo Vogtiano p. 214. itemque ejus *Turco-Græcia*, & *Germano-Græcia*, In *Turco-Græcia*, quæ Epistolarum ab ipso ad Græcos modernos & horum vicissim ad illum scriptarum collectionem continet, eximia habetur notitia Status religionis, qualis tunc erat in Græcia; Unde simul addiscitur, majorem esse illorum cum Protestantium religione, quam quidem cum Pontificia, convenientiam, secus ac LEO ALLATIUS in libro, de *Latinæ & Græcæ ecclesiæ consensu perpetuo* evincere conatus est, quem *Frid.* SPANHEMIUS singulari tractatu Operibus ejus Tomo II. inserto refutavit.

Sunt ab eodem Crusio edita quoque *Acta & Scripta Theologorum Wirtembergensium*, & *Patriarchæ Constantinopolitani Dn. Hieremiæ*, quæ utrique ab Anno 1576. ad ann. 1581. de Augustana Confessione inter se miserunt Gr. & Lat. Witebergæ 1584. fol. quæ itidem sunt rarissima, & quorum historiam paucis enarrat Cel. PFAFFIUS in libro *de Actis & scriptis publicis Ecclesiæ Wirtembergicæ* Cap. II. §. I p. 50. 51.

CU-

CURIONIS (*Cælii Secundi*) *de amplitudine beati Regni Dei Dialogi*, *ſive Libri duo*, *ad Sigismundum Auguſtum Poloniæ Regem potentiſſimum & clementiſſimum.* In quodam Rhæticæ ditionis in Italia oppido. A. 1554. 8. Mirum eſt, quomodo in *Theatro Pſeudonymorum* ipſe PLACCIUS n. 767. fol. 207. a. hoc eſſe fictum atque ementitum nomen potuerit judicare, ex eo quod *Thomas* HYDE in Catalogo *Biblioth. Bodlejanæ* poſt L. p. 230. a. quoque idem affirmaverit, qui & verum auctorem eſſe indicaverit eſſe *Thomam Wicarſium* ſeu de *Vicariis.* Fuit autem, *Cælius Secundus* CURIO, ex iis Italis, qui ob purioris religionis profeſſionem, Patriam cum Helvetia commutare debuerunt, uti is per quam multos annos in Academia Baſileenſi, ab Anno 1547. usque ad Ann. 1569. emortualem, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſionem exornavit: Eminent inter ejus ſcripta, hi Dialogi, quorum hiſtoriam texuit Cl. SCHELHORNIUS in Amoenit literar. Tom. X. n. V. p. 592. & ſqq. In quibus „ longe majorem eſſe *electorum* „ quam *reproborum* numerum, „ variis argumentis evincere conatus eſt, ita tamen, ut, cum inſignem atque maxime notabilem Orbis, ac Judæorum inprimis

mis ad Christum ante extremum mundi diem conversionem expectandam inculcet, universalis quoque Gratiæ patronus eapropter haberi nullo modo possit, sitque adeo P. BÆLII ad vocem *Curionis* nota supervacanea prorsus, quando is: *Il y a lieu*, dicit, *d'etre surpris, qu'il osat precher cet Evangile au milieu des Suisses; car une telle doctrine est fort suspecte aux veritables Reformez, & je ne pense pas qu'aucun Professeur la put soutenir aujourdhui en Hollande impunement.* Quasi verò non liceret Gratiæ divinæ amplitudinem explicare erga plures, aut Regni Dei gloriosi terminos longe lateque extendere, vel ipsa præeunte Scriptura, quæ sane *non paucos* Regni Dei *hæredes* nobis proponit, &, sicubi in relatione ad perituros tanquam paucos eos repræsentat, ita intelligi debet, ut ad certa præcise tempora id referatur; Cum ceteroquin Spes nobis in verbo Prophetico sit facta, quod aliquando *tota terra gloriâ Jehovæ sit implenda*, in ultimis nempe Ecclesiæ seculis, quando sane Electorum non adeo angustum expectamus numerum. Ne jam in messem Philosophicam de Creaturis cœlestes globos forte incolentibus innumeris, laudum Dei ebuccinatoribus, falcem nostram immittamus. Sed

 aliam

aliam tamen Curioni propter hunc libellum à P. P. Vergerio motam esse quæstionem notum est, ac si in hoc libello is tueretur, *homines solis naturæ viribus sine Christo salutem consequi posse.* Ad quam quæstionem quid responderit Curio, ex duplici ejus colligitur *Apologia*, quam *Schelhornius* l. c. p. 600. & sq. inseruit.

Enimverò, & reliqua *Curionis* scripta, inter quæ, & *Pasquillus* est *Ecstaticus*, *a*) & dialogus *Probus*, quem nuper egregio consilio suis Amœnitatibus Historico-Ecclesiasticis Tomo I. inseruit Cl. SCHELHORNIUS, urbis Memmingensis, totiusque Sueviæ ornamentum, & dialogus *Sfortia*, & *Coroëbus* & *Creusa*, eminent, itemque *Araneus b*) sive *de Providentia Dei*, sunt rarissima, multaque quæ ad ejus temporis Historiam cum ecclesiasticam tum literariam elucidandam faciunt, continent; Uti multum ejus cum politissima fœ-

a) In eo duplex fingit cœlum, alterum Christianum, alterum Papisticum; Sed in neutro sibi deprehensum fuisse Erasmum, ait, quem inter utrumque perpetua vertigine agitatum & in gyrum versatum facetè exhibet. M. H.

b) Est is Curionis Tractatus uti rarissimus ita ingeniosissimus, ob perpetuam ad *araneas* allusionem. M. H.

fœmina *Olympia Fulvia Morata* fuit commercium epiſtolicum.

Eſt Epitaphium Ejus Memoriæ à M. *Paulo Cherlero* poſitum, hujusmodi.

Arte potens, pietate gravis, ſermone politus,
COELIUS hic lenes in molli funere ſomnos,
Juxta chara ſibi quondam ſua pignora carpit.
Cumque his exſurget, priſcis revidendus amicis,
Luce ſub extrema, Cum tu, fortiſſime JESU,
Viva Dei Soboles, ſonitu præeunte tubarum,
Advenies Judex liquidis in nubibus acer
Judicioque premes orbem, & nova præmia reddes;
Præmia grata probis; reprobis ingrata, ſed æqua,
Et Fidei vacuis ipſorum debita factis.

Cæterum mirari ſatis temerariam non poſſumus aſſertionem, Viri docti, qui ante aliquot annos ſub præſidio Celeb. MOSHEMII *Michaelis Serveti Hiſtoriam* edidit, quando pag. 218. *Curionem noſtrum* aſſerit *inter amicos & ſectatores Serveti fuiſſe*, id quod alio loco, ſe planum facturum eſſe pollicetur; Cum rectius longe Cl. SCHELHORNIUS in Amœnit. Liter. Tom. XIV. p. 386. 395. quam hæc immerito ipſi dica impingatur, ſiquidem a Servetianismo longiſſime fuerit remotus, demonſtraverit, qui ſimul auctores qui Cœlii S. Curionis, ſive Vitam ſive Scripta ſive laudes

exhibent; quoque enarrat l. c. p. 382. 383.

Et quanquam inficias ire non velimus, Virum ingenio Italico præditum, quique non fuit professione Theologus, sed literas excoluit & docuit humaniores, in brevi illa *paraphrasi in Principium Evangelii Johannis*, quam præ manibus habemus, quædam incautè posuisse, quæ illum in hanc suspicionem adducere possent; Tamen reliqua ejus scripta contrarium edocent, & evincunt, quod Jesum Christum verum Dei Filium & verum Deum agnoverit; Præterquam, quod Basileæ, ubi vixit & scripsit, nemo, ne quidem *Simon* SULCERUS, hostis novaturientium acerrimus, ei unquam propterea molestiam exhibuerit, neque etiam VERGERIUS, quocum tamen ipsi simultas satis erat magna, id ei unquam exprobraverit, haud silentio transmissurus, si tales errores exitiales objicere ei jure potuisset. Tam igitur CURIO, (uti egregiè ad me scribit Cl. M. HURTERUS, idem ille, cujus symbolæ variæ huic Florilegio leguntur insertæ) non fuit Unitarius, quam ejus gener, Hieronymus ZANCHIUS, ob scriptum librum de Tribus Elohim, non fuit Tritheita.

CY-

CYPRÆI (*Joh. Adolphi*) Annales Episcoporum Slesvicensium Colon. 1634. 8. rariores esse observatur in *Biblioth. Danic.* T. VI. p. 440. ubi ipse Auctor *Nobilis* appellatur *Apostata.*

DEFENSIO Juris & legitimæ possessionis *Illustriss. Principis & Dn. Dn. Wilhelmi, Juliæ, Geldriæ, Cliviorum, & Bergensium Ducis, Marchiæ Zutphaniæ & Ravensburgi Comitis, ac domini in Ravestein*, in Geldriæ ducatu atque Zutphaniæ comitatu anno 1542. in Comitiis Spiræ edita. Una cum *dilutione assertionis Cæsareæ Majestatis nomine in* Comitiis Ratisbonensibus A. 1541. exhibitæ. Excusa in ducatu Montensi 1542. 4. Libellus longe rarissimus, extat in Bibliotheca Brunsvicensi & quod relatum nobis est, in Bibliotheca Viri Cl. JOH. ALBERTI Theologi Leidensis. v. Autograph. Hardt. Tom. III. p. 416.

DEMONTIOSII. (*Ludovici de Montiosieu*) *Gallus Romæ hospes*, cum fig. Romæ 1585. 4. Lib. rariss. in Bibl. Albini p. 260. Fuit is Auctor Seculo XVI. Nobilis, atque non solum ob eruditionem multifariam, sed & inprimis ob raram rei antiquariæ doctrinam insignis: Is uti Regii Fratris studia moderabatur ita A. 1583. in comitatu Ducis *Jousæ*,

 nutu

nutu Henrici III. R. G. Romam profectus erat, atque ibi hospes a) multa ad Urbis, terrarum olim Dominæ, illustrationem, atque interdum plura quam multi Romani cives, paucorum mensium quo in ea fuit, spatio contulit, his quinque libellis Sixto V. inscriptis, in quibus de Obeliscis, Jano bifronte, Septizonio, Pantheo, Symmetria templorum, Caryatidibus, quas Gallus Italos docuit, de sculptura veterum, cælatura, sculptura gemmarum, pictura, foro Romano, aliisque urbis locis, non aliis scripta & recentiorum plerosque errores notavit. Suntque adeò hi ipsi libri, quos sub tit. *Gallus Romæ Hospes* edidit propter insignem eorum cum præstantiam tum raritatem à Cl. GRÆVIO inserti Thes. Ant. Rom. Tom. IX. fol. 777. seq.

Scripsit is, ceteroquin & Tractatum *de Septimanis Danielis* lingua Gallica, & duos *de Doctrina Platonis* libros itidem lingua Gallica, qui ne ipsi quidem doctissimo BRUCKERO in Histor. Crit. Philos. T. I. p. 622. 628. Scriptores de Platone enarranti, perspecti fuisse videntur. Conf. BAYL. sub. tit. *Mont-Josieu.*

DIA-

a) Ita THUANUS Histor. Lib. LXXVIII. n. III. fol. 157.

DIALITHI χρησμῳδία Parabolico Prophetica de infausto Fausti Socini asseclarum exitu illustrata per Christophorum DIALITHUM Ungarum. Oxonii Typis L. L. A. 1701. M. H.

DIARIUM *Regni Henrici* III. Galliarum Regis. vid. l. *Estoille.*

DRYANDRI (*Francisci*) Versio Novi Testamenti *Hispanica* dedicata Carolo V. & impressa Antverpiæ 1543. 8. est longè rarissima: *Rich.* SIMONIUS in Histor. Crit. Versionum N. T. c. XLI. p. 494. Auctorem appellat *Franc. Enzinas*, *a*) atque in novis observationibus ad textum & ad Versiones N. T. c. II. P. II. p. 151. seq. satis diffusum de ea judicium suum nobis suppeditat: Titulus libri, (quem in instructissimis Galliæ Bibliothecis frustrà quæri affirmat Simonius l. c.) ita se habet: *El nuevo Testamento de nuestro Redemtor Salvador Jesu Christo traduzido de Griego en lengua Castellana por FRANCISCO de ENZINAS, dedicado à la Cesarea Mayestad* 1543. 8. V. SALIG Histor. August. Confess: T. II. p. 23. qui eun-

 dem

a) Erat hoc nomen ejus Hispanicum, quod Græcè translatum per *Dryander*, efferebatur: *Les Espagnols* (ita Bayle in diction. v. Dryander) *nomment Enzinas une espece de Chene.*

dem in Guelpherbytana Bibliotheca reperiri tradit, ſimul verò etiam quæ circà hanc Verſionem contigerunt enarrat: Id unicum memorabile eſt, quod cum typographus Antverpienſis, locum ad Rom. III: 28. *Colligimus igitur fide juſtificari hominem, ſine operibus legis*; majoribus literis imprimi curaſſet, ea res in hæreſeos ipſi Dryandro impingendæ ſuspicionem contulerit, uti is carceri abinde eſt mancipatus, ex quo tamen poſt quindecim menſes, ſingulari providentia divina liberatus, evaſit:

Ejusdem *Hiſtoria propriæ incarcerationis atque liberationis*, lingua Latina conſcripta & edita laudatur SALIGIO l. c. p. 26. conf. *Actiones & Monimenta Martyrum*, quæ Genevæ 1560. 4. prodierunt lib. V. p. 151. ſq.

DURASTANTIS (*Matth.*) Problemata, an ſint Dæmones, & de eorum viribus. Venet. 1587. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 220.

DURERI (*Alberti*) Pictoris & Architecti præſtantiſſimi, *de urbibus, arcibus; caſtellisque condendis ac muniendis* rationes aliquot, præſenti bellorum neceſſitati accommodatiſſimæ, nunc recens è Germanica in Latinam traductæ, cum præfatione Chriſtiani Wecheli ad Gulielmum Langæum, Pariſiis 1535. fol. Li-

ber

ber eſt rariſſimus. v. HARDT Autogr. Luth. T. III. p. 246.

EDERI (*Georgii*) Liber *adverſus Proteſtantes* equidem doctiſſimo *Vogtio* commemoratur, ſed ita, ut genuinum ejus titulum non expreſſerit; is verò ita ſe habet: *Evangeliſche Inquiſition* wahrer und falſcher Religion, wider das gemain unchriſtliche Clag geſchray, daſs ſchier niemands mehr wiſſen Künde, wie ader was er glauben ſolle: In forma aines Chriſtlichen rathſchlags, Wie ein jeder Chriſten menſch ſeines glaubens halben gäntzlich vergwiſſt und geſichert ſein möge: Dermaſſen das er leichtlich nicht Künde betrogen noch verfurt werden. durch H. *Georgen Eder*, D. zu Cölln durch Dieterich Baum. MDLXXIIII. 4.

EGLINI (*Raphaelis Iconii*) Prophetia Halieutica nova & admiranda &c. Tiguri 1598. Autor iſte fuit primò Miniſter Tigurinus poſtea Profeſſor Theologiæ Marpurgenſis. De libro autem hoc vide WOLFFII Lectiones Memorabiles T. II. p. 1061. ſeq. M. H.

EGNATII (*Joh. Bapt.*) Veneti, *de Cæſaribus* libri III. Ejusdem in Spartiani Lampridiique vitas & reliquorum annotationes. . . Addita eſt in calce *He-*

 lio-

liogabali principis ad meretrices elegantiſſima Oratio non ante impreſſa Venet. 1516. 8. In ædibus Aldi & Andreæ ſoceri. v. *Bibl. Miſcell. Hamb.* T. III. p. 574. ubi ſimul notatur, quam quæ hic Heliogabalo adſcribitur Oratio, ſit adſcribenda *Leonardo* ARETINO.

EMSERI (*Hieronymi*) Georgii Ducis Saxoniæ Secretarii & Conſiliarii *Opuscula.* Auguſtæ 1519. 4. edita, ſunt infrequentia M. H.

Auctoris nomen, Luthero pariter atque Zwinglio inimicum in Hiſtoria Reformationis ſatis ex Seckendorfio aliisque eſt cognitum.

ENZINAS vid. *Dryander.*

EPISTOLÆ Principum, Rerumpublicarum ac Sapientum virorum Venet. 1574. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 214.

EREMUNDI (*Erneſti Friſii*) *Hiſtoria motuum Belgicorum* cum tabb. æneis Accedit *Hiſtoria Tragica de furoribus Gallicis* Lugd. Bat. 1619. In qua Sacræ Inquiſitionis arcana candide deteguntur, & quantam cladem illa in Belgio excitaverit ex Actis publicis, ordine chronologico, dictione ſimplici & plana exponitur. Sunt verò qui *Theod.* BEZAM, ſunt alii qui *Hubertum* LANGUETUM, ſunt denique qui *Franciſcum* HOTO-

HOTOMANNUM auctorem esse hujus Historiæ censent.

Nisi forte *Bonav.* VULCANIUS pro vero Scriptore haberi debeat, quanquam cum hujus religio fuerit dubia, dubitare quis posset, eum hæc consignasse.

l' ESTOILLE *Journal. du Regne du Roi Henri III.* &c. Hoc Diarium longe rarissimum, Auctorem agnoscit Mr. de l' *Estoille*, indicante Colomesio in Bibl. Chois. p. 184. Epitomatorem vero Mr. *Servin*;

Est memorabile quod ex eo diario ad A. 1582. pag. 66. *in singularibus Plessiacis* à M. CRUSIO V. Cl. pag. 143. affertur de Cardinale *Perronio*, cum scil. coram Rege, gravi aliquando præstantique oratione probasse contra Atheos, *esse Deum*, à quo omnia sint orta, ita ut Rex inde incredibili voluptate perfusus, regiis ipsum decoraverit laudibus; sed mox respondisse Perronium, se eadem arte, ac facilitate, quod hodie adstruxisset, cras esse destructurum, atque haud infirmioribus argumentis demonstraturum *nullum plane dari divinum Numen*; Qua temeritate tantam tamque justam Regis indignationem, is in se provocavit, quantam oratione præcedente gratiam ab ipso inivenrat.

EU-

EUTYCHII (*Patriarchæ Alexandrini*) *Annales* interprete *Eduardo* POCOCKIO. Oxon. 1658. 4. 2. volum. Opus est rarissimum.

EYMERICI (*Nicolai*) *Directorium Inquisitorum*, cum notis *Francisci Pegnæ*. Venet. 1607. fol. Editio hæc est rarissima, atque Cel. MOSHEMIO diu quæsita sed non inventa.

FABRI (*Jacobi*, *Stapulensis*) *Psalterium quintuplex* Paris A. 1509. primò, & deinceps A. 1513. altera vice prodiit auctius. fol. Quam Editionem mea servat Bibliotheca.

De Auctore, quantum satis est diximus in *Introduct. ad Histor. Reform.* §. LXXVI. p. 172-177. Ipsum hoc Psalterium, ad modum Hexaplorum Origenis adornatum, atque expositione continua & notis instructum recenset *Rich.* SIMON in *Bibl. Chois.* Tomo II. Fuitque hoc opus jam olim Cardinali XIMENIO admodum probatum, teste BEYSCHLAGIO in Epist. ad doctiss. *de la Croze* in Thes. Epistol. Croz. T. I. p. 65. Redacta verò sunt in unum corpus quinque psalteria, *Gallicum*, *Romanum*, *Hebraicum*, *Vetus*, & *Conciliatum*, variæque animadversiones ad genuinum plurimorum Psalmorum subjec-

jectum propheticum eruendum, eximiæ sunt adjectæ: In dedicatione ad *Guliel. Briſſonetum*, is inter alia poſtquam conqueſtus fuerat, de quibusdam, qui cum Rabbinis divinos Davidis hymnos maxima ex parte de *ipſo Davide* exponunt, de preſſuris ejus in perſecutione Saulis & aliis bellis quæ geſſit, non facientes eum in pſalmis Prophetam, ſed per eum viſa & facta narrantem, & quaſi propriam texentem hiſtoriam; *Ilico*, inquit, *me contuli ad Apoſtolos & Evangeliſtas . . . & videor mihi alium videre ſenſum qui ſcilicet eſt intentionis prophetæ & Spiritus ſancti in eo loquentis, & hunc litteralem appello, ſed qui cum ſpiritu coincidit, neque videntibus neque prophetis alium littera prætendit:* Addit deinceps interjectis quibusdam: „CHRISTUS ſolus eſt clavis Davidis, & de „quo illi in hac pſalmodia per Spiritum ſanctum conſtitutum erat. Et ut „apertius cognoſcatur hoc . . paucis „idipſum patefaciendum puto exemplis. *Secundum* Pſalmum: *Quare fremuerunt gentes* &c. ad litteram exponunt Hebræi de Palæſtinis qui inſurrexerunt in Davidem Chriſtum domini. Verum, Paulus & cæteri Apoſtoli Spiritu Dei repleti ad litteram „de CHRISTO Domino, vero „MES-

„ MESSIAH & vero Dei Filio (ut &
„ verum eſt & decet) exponunt.

„ Rurſus *ſeptimum* (octavum) *decimum* Pſalmum volunt Hebræi ad literam Gratiarum actionem eſſe Davidis ad Deum quod liberatus eſſet de manibus Saulis & hoſtium ſuorum, Paulus literam CHRISTO Domino tribuit.

„ *Octavi (noni) decimi* pſalmi literam ponunt Hebræi de prima datione legis. Paulus non de prima ſed de *ſecunda legis datione* per beatiſſimos Apoſtolos & ſucceſſores coram ubivis gentium promulgatæ.

„ Præterea *primi* (*ſecundi*) & *viceſimi* pſalmi literam ponunt Hebræi de afflictione Hebræorum tempore Artaxerxis. Mathæus, Johannes, & Paulus Deo pleniſſimi viri, literam ſuper iis ſtatuunt, quæ CHRISTO Domino Regi Gloriæ in ſua paſſione acciderunt. Et longum eſſet per ſingulos Pſalmos oſtendere, quem Hebræi aſtruunt literalem ſenſum, nequaquam illum literam velle. . . . . Abſit igitur nobis credere hunc literalem ſenſum, quem literæ ſenſum appellant & Davidem hiſtoricum potius facere quam prophetam : ſed eum literalem ſenſum vocemus, qui cum

„ ſpi-

„ ſpiritu concordat, & quem Spiritus „ S. monſtrat. „ Atque hæc quidem jam in prima editione fuerant dicta: In fine Emiſſionis Secundæ, (ſic enim editio hæc ſecunda in titulo appellatur) hæc leguntur: *Abſolutum fuit hoc quincuplicis Pſalterii opus in Cœnobio Sancti Germani prope muros Pariſienſes. Anno à Natali Chriſti Domini* 1508. *Et in clariſſimo Pariſiorum gymnaſio ex calcotypa Henrici Stephani officina è regione Scholarum Decretorum ad ſecundam & caſtigatiorem emiſſionem ſuſceptum anno Chriſti Salvatoris omnium* 1513. *Idibus Juniis.*

FABRICII (*Georgii*) *Corpus Poëtarum veterum Eccleſiaſticorum cum commentariis* Baſil. 1564. 4. Eſt hæc a G. Fabricio Chemnicenſi Sylloge Poëtarum Chriſtianorum XXX. qui a Seculo III. usque ad Sec. VI. in Eccleſia floruerunt, longe rariſſima, ut vere, in ea, (quod titulus præ ſe fert,) Theſaurus Catholicæ & Orthodoxæ Eccleſiæ, & Antiquitatis religioſæ exhibeatur, ad utilitatem Juventutis Scholaſticæ; Sunt autem, qui hac collectione ſiſtuntur Auctores ſequentes.

Alcimus. p.	367.	Arator.	570.
Ambroſius.	363.	Columbanus.	779.
Amœnus.	747.	Cyprianus.	295.

Da-

Conf. omnino FABRIC. in Biblioth. Latin. Lib. IV. c. 3. p. 696-724.

FALCONERII (*Octavii*) de Nummo Apamensi Deucalionei diluvii typum exhibente, dissertatio Rom. 1667. 8. Lib. rar. in Bibl. Albin. p. 178. inserta legitur Thes. Ant. Gr. Gronov. T. X. fol. 672.

FARIA (*Thomæ de*) *Lusiadum* Libri X. Hos rariores esse colligimus ex Epist. Jo. Ch. WOLFII ad M. V. de la Croze in Thes. Epist. Croz. Tom. II. p. 188. & p. 198. Erat Auctor eruditionis fama celebris seculo superiori XVII. apud Ulyssiponenses ordinis Carmelitarum Monachus, & cum brevi ante obitum Episcopatum in partibus Africæ adeptus fuisset, is *Historiam sui temporis* scri-

ſcripto reliquit. v. ANTON. Biblioth. Scriptor. Hiſpan. & ALEGRE in Paradiſo Carmelitano.

FENDT (*Tobiæ*) Monumenta. Vratislav. 1574. fol. Eſt opus rarum, cujus integer eſt Titulus: *Monumenta ſepulcrorum tum Epigraphis ingenio & doctrina excellentium virorum, aliorumque tam priſci quam noſtri ſeculi memorabilium hominum de archetypis expreſſa per Tobiam Fendt, pictorem & civem Vratiſlavienſem in æs inciſa & edita* 1574. f. Conſtat figuris in æs inciſis 125. Excerpta ex hoc libro dedit Cl. STRUVIUS Bibl. Ant. 1705. p. 362. ſq. inter illa vero Epitaphia eſt memorabile, quod in *Angelum Politianum* legitur, Virum ſui temporis literatiſſimum.

Policianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput, & linguas, res nova, tres habuit.

Uti non minus *Leonardi Aretini*, quod Florentiæ in templo S. Crucis legitur, commemorari meretur.

Poſtquam Leonardus è vita
migravit, hiſtoria luget,
eloquentia muta eſt, ferturque
Muſas, tum Græcas, tum
Latinas, lacrimas continere
non potuiſſe.

FERSIUS (*Joh.*) de *Præfectura Prætorii* Francof. 1611. 4. Lib. rarus dicitur in Bibl. Albini. pag. 59. Auctor erat Uratiſlavienſis circa principium ſuperioris ſeculi, Phil. & Med. D. Protonotarius Apoſtolicus & ad Div. Johann. in Patria Canonicus, qui A. 1611. diem ſupremum obiit. v. CUNRADI. Sileſ. tog. p. 72.

FLACII (*Mathiæ*) Liber *de Sectis, diſſenſionibus, contradictionibus & confuſionibus doctrinæ, religionis, ſcriptorum & doctorum Pontificiorum.* Baſil. 1565. 4. Hujus libri rarioris notitiam haurimus ex STRUVII Biblioth. Antiq. 1705. p. 428. ſeq.

Sed & alter ejusdem FLACII liber cui titulus: *Von der diſputation oder Religions-ſtreit zwiſchen D. Mathia Flacio Illyrico und denen Jeſuitiſchen Doctoren zu Fulda im Mey-mohnath dieſes Jahrs* 1563. *geſchehen* &c. raritatis notam habet in RITTER. deſcript. Vit. Flac. p. 210.

FLAMINII (*M. Antonii*) in librum Pſalmorum brevis Explanatio. Adjectæ ſunt ejusdem auctoris in Pſalmos aliquot Paraphraſes, item in triginta Pſalmos Paraphraſes, carmine ab eôdem deſcriptæ. Lugd. 1569. in 12. Quod liber iſte ipſi etiam Rev. VOGTIO citatus, ra-

rus

rus ſit, nemo mirabitur, ſi verum eſt illud Anonymi, à Cel. SCHELHORNIO citati, in Amœn. litt. T. VIII. Diff. I. de libris publicâ autoritate combuſtis, p. 500. quod Paulus IV. Pontifex illum flammis aboleri juſſerit. Fateor, me nihil hâc de re legiſſe. THUANUS TEISSERIUS & BAELIUS altum tenent ſilentium. Liber autem iſte in tutelam receptus erat à Paulo III. Pontifice & Alexandro Farneſio Cardinali. Illi enim primam, Huic ſecundam editionem dedicaverat. In indice quoque librorum prohibitorum, qui 1559. prodiit, Flaminii nomen non reperio. Auctorem ipſum quod attinet, non tantum Poëta fuit magni nominis & ſpiritûs, qui ingenii acumine veteribus non valde ceſſit, ſed pietatis quoque valde ſtudioſus fuit, amavitque veritatis radios, qui tunc in Italiâ ex ipſis tenebris emicabant. Flexanimum eſt illud carmen, quod fecit in Hieronymum Savonarolam:

Dum fera flamma tuos, Hieronyme! paſcitur artus,
Relligio flevit, dilaniata comas;
Flevit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſtô viſcera noſtra rogo.

An autem Flaminius ſub nomine Marcelli Palingenii uti putat Cel. HEUMANNUS, lateat, dicere non habeo. M. H.

FONTANI (*Jac.*) de Bello Rhodio libri tres. Rom. 1524. fol. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 39.

FONTII (*Bartholomæi*) Florentini, *Commentarius in Perſium*. Venet. 1491. Eſt liber rariſſimus. v. BAYLE dicton. v. *Fontius*.

FONTEJUS (*Jo. Bapt.*) de priſca *Cæſiorum* gente, cum appendice *Julii Jacobonii* cum fig. Bononiæ 1582. fol. Liber rarus dicitur in Bibl. Albini p. 20. n. 278.

FORCATULI (*Stephani*) Jureconſulti *De Gallorum Imperio & Philoſophia* Libri VII. Paris. 1580. 4. Opus rariſſimum ac omnigena eruditione refertum.

FRANCKENBERGER (*Andreæ*) *Inſtitutionum antiquitatis & Hiſtoriarum* pars prima, in libros ſex diſtributa. Witebergæ in officina Cratoniana 1586. 8. Multa hoc libello, quem inter rariores merito locamus, contineri egregia, patet ex iis, quæ ex eo nobis referuntur a Cel. STRUVIO Bibl. Antiq. A. 1706. p. 213-219.

FULVII (*Andreæ Sabini*) *De Urbis antiquitatibus libri quinque Romæ Anno* 1545.

8. *per*

8. *per M. Valerium Doricum & Aloisium Fratrem, Brixianos.* Tractatum hunc *Fulvii*, egregii antiquarii, atque Antonii Augustini, (referente Erythræo in Pinacotheca lib. I. Imag. IV.) familiaris, rarissimum, recenset & excerpsit STRUVIUS Bibl. Antip. 1705. p. 267. sq. Legi merentur inter alia, quæ is p. 314. de prima typographica apud Romanos officina addit: *Inventa memoria nostra, nova admirabilisque Librorum imprimendorun ars, prodigiosis hominum ingeniis excitata, auctores, duo ex Germania fratres, impressoresque primi, Conradus & Arnoldus, Romæ cœperunt in ædibus Petri de Maximis Patritii Romani* MCCCCLV. *Primique omnium Augustinus de civitate Dei & Lactantius prodiere. Unde hodie ubique gentium ex omni lingua impressi characteres, gratissimo compendio adparent.*

GALATEUS (*Ant.*) de situ elementorum & peregrinatione. Basil. 1550. 12. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 272.

GALENI (*Claudii*) *De usu partium corporis humani*, est opus egregium, atque ex Gr. in Latinum sermonem translatum, *Nicolao Regio Calabro* interprete, Paris. 1528. ex officina Simonis Colinæi. 4. Optima vero editio Græco-La-

tina, sed ea rarior quoque, cum Casp. Hofmanni versione & commentariis prodiit Francof. 1605. fol. *Si nihil aliud scripsisset* (verba sunt J. A. FABRICII in Bibl. Græc. L. IV. c. XVII. p. 550) *Galenus, quam hoc opus, vel ob istud unum lectu sane dignissimum summis merito viris omnium judicio accensendus esset. Quanta enim solertia artificium divini conditoris in corpore nostro singulisque ejus membris inquirit & explicat, quam multis quamque solidis argumentis illud adversus novos Prometheos & Momos, Epicurum, & Asclepiadem, & alios sophistas Naturæ Providentiam atque artem inficiantes tuetur, quam pie denique virtutem Opificis celebrat admirabundus, hanc ratus esse* την οντως ευσεβειαν, *& hunc vere* ιερον λογον *&* υμνον αληθινον, *non si mille offerat hecatombas, sed si cognoverit ipse prius, tum monstraverit etiam aliis, quantus Deus sit sapientia, quantus potentia, quantus bonitate. III.* 10.

GALEOTI (*Martii Narniensis*) *de Homine* Libri duo. Unà cum *Georgii Merulæ Alexandrini in Galeotum annotationibus*. Basil. apud Jo. Frobenium A. 1517. 4. Liber rarus. Erat Auctor, præceptor quondam Regis Mathiæ Corvini, qui & librum Apophtegmatum Hungariæ Regis conscripsit.

GAR-

GARNERII (*Johannis*) *Systema Bibliothecæ Jesuitarum Collegii Ludoviciani.* Liber est rarior, siquidem in privatum tantum ejus Bibliothecæ commodum a *Garnerio* Jesuita doctissimo fuerit conscriptus. Vidit ejus exemplar *Parisiis* in Bibliotheca Jesuitarum hujus collegii, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Trinitatis, ubi selectissimus librorum apparatus habetur, doct. MAICHELIUS, qui & in cultissimo libello, *de Bibliothecis Parisiensibus* p. 128 & sq. quædam ex eo nobis subministrat excerpta.

P. GARSIÆ Galarzæ Institutiones Evangelicæ. Mantuæ Carpentanæ 1579. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 43. n. 27.

GASSENDI (*Petri*) qui Renati Cartesii verè malleus fuit, *Opera* omnia 1658. in fol. T. VI. *sunt*, agnoscente Clarissimi nominis Viro Theoph. STOLLIO in limatissimo opere de Historia eruditionis, & *rara & cara* p. 397. Epitomator ejus est BERNERIUS, Medicus Mentispessulanus. Ne hic quidem adeò frequenter obvius est.

Commentationem de vita & moribus Gassendi edidit Samuël SORBERIUS, præfixam ejus syntagmati de Philosophiâ Epicuri, quam tamen acerbissime

perstrinxit Guido PATINUS. Medicus Parisiensis in Epist. ad Sponium T. II. p. 386. 387.

Si verum est, quod Viri Cell. HEUMANNUS, VOGTIUS aliique asserunt. P. Gassendi Exercitationum Paradoxicarum adversus Aristoteleos volumen secundum impressum Hagæ 1659. in 4. admodum rarum esse, & paucissimis visum, gratissimum mihi est, quod duo rarissimi hujus libri exemplaria in levidensem Bibliotheculam meam migraverint. Interim judicium censorium Honorati FABRI in exercit. Gass. parad. vide apud MORHOFIUM in Polyh. T. II. L. I. c. XII. p. 67. M. H.

GASTII (*Jobi*) *Trost-predigt an die, welche von Papisten verfolgt werden* Nürnberg. 1540. 4.

Ejusdem, *Expostulatio Justitiæ cum mundo à Belial instigato, per dialogi modum à Job. Gast conscripta. In qua præsens hæc vulgi & principum tragoedia nonnihil attingitur* Anno 1525. 8.

Fuit horum libellorum rarissimorum Auctor JOBUS GASTIUS, inter Theologos Reformatores qui eximium habuit locum; JOH. BRENTIUS, (cujus commentarium *in Ecclesiasten* is Latina lingua donavit atque 1528. Hagenoæ apud Jo. Secerium publicavit,) eum

eum appellat, *amœnissimi ingenii hominem, literis & pietate clarum*; quem ingenii characterem, cum in aliis editis libellis, tum in illa *Expostulatione* quam diximus, inprimis testatum dedit. Conferantur de ejus vita, ea quæ habet in Sylloge rariorum Opuscul. p. 405. & p. 854. *Beyschlagius*, & Auctor libri cui tit: *Frankische Reformations geschichte* p. 37. & 38. qui & ejusdem libellum rarissimum cui tit. *Grundliche antwort und Kreftige ablehnung auf etlich geschrift des Probsts zu Langenzeur*, tanquam documentum publicum ad Historiam Reformationis Burggraviatus Noribergensis spectans, quod separatim 1528. prodierat, suis Actis inseruit.

GASTII (*Johannis Brisacensis*) *De Anabaptismi Exordio, erroribus, historiis abominandis, cum adjectis confutationibus* Libri duo Basil. 1544. 8. longe sunt rarissimi.

GEMINI Elementa Astronomiæ Gr. Lat. Interprete Edone Hilderico. Lugd. 1603. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 186.

GEMMÆ (*Cornelii*) nomen parum inter Medicos est notum, qui tamen inter primos numerari omnino deberet. Extant ejus *De Naturæ divinis characterismis, seu raris & admirandis spectaculis, causis* in-

indiciis, proprietatibus rerum in partibus singulis universi Libri II. Antwerpiæ ex officina Christophori Plantini 1575. 8. Quis Auctor fuerit, ex Valerii Andreæ Desselii Bibl. Belg. p. 149. cognoscitur, qui eundem Lovanii natum 1535. patre Rainero Gemma, Frisio dicto, refert, eundemque nobis tanquam Philosophum, Medicum, Mathematicum ad miraculum usque doctum, atque arcanorum naturæ, si quem unquam alium callentissimum, ac Medicinæ Professorem Regium describit; Operis hujus Cosmocritici conscribendi occasionem sibi fuisse refert Auctor, insigne prodigium, nulli alteri, a Christo nato, tum pulcritudine tum magnificentia comparandum, per quod intelligit Sidus novum in astro Cassiopeæ, quod 1572. adparuit. Argumentum ipsius operis plenius enarrat STRUVIUS Bibl. Antiq. A. 1705, p. 171. & seqq. qui & hoc superaddit de eo judicium pag. 180. „ Hoc autem dicendum, quod in „ prodigiorum historia nimium cre„ dulus sit Auctor, in aliis quando„ que divini quidpiam quærit, quæ „ tamen causas solummodo habent na„ turales. „

GENEBRARDI Theologi Parisiensis, qui Hebrææ linguæ peritiâ clarus fuit, *Miscel-*

Miſcellanea inter libros rariores referuntur à Salomone TILLIO Bibl. Theol. p. 95. De auctore ipſo præ aliis conſulantur Scævola SAMMARTHANUS & P. COLOMESIUS in Gallia Orientali. M. H.

GEORGII vulgo *Joris* dicti (*Davidis*) *Hiſtoria*. 4. Quomodo ipſe Davidis gener *Nic. Blesdykius*, qui prius ſectæ ſuum addixerat nomen, ad frugem rediens, vitam nefarii hujus impoſtoris deſcripſerit, jam ad BLESDYKII nomen vidimus. Non minus vero memorabilis, ſed & non minus rara eſt hæc, quæ *Baſileæ* 1559. 4. prodiit, (quam præ manibus habemus) Hiſtoria, ab ipſo Baſileenſium ejus temporis Profeſſorum Collegio conſcripta, ſub hoc titulo: Davidis *Georgii*, *Holandi*, *Hæreſiarchæ vita & doctrina. Quandiu Baſileæ fuit, tum quid poſt ejus mortem, cum cadavere, libris ac reliqua ejus familia actum ſit. Per Rectorem & Academiam Baſileenſem in gratiam Ampliſſimi Senatus ejus urbis conſcripta.* Quo libro, publica auctoritate, poſt ſedulam rerum inquiſitionem conſcripto, quis non mirabitur, eſſe his quoque temporibus, qui inter homines ſpirituales, hoc hominis monſtrum, cum ipſo *Godofredo* ARNOLDE Myſticorum Patrono ſedulo, & En-

Enthusiastarum Advocato, recensendum esse non dubitant? Hominis hujus effigiem reperiri licet in libro rarissimo cui tit. *Apocalypsis insignium aliquot Hæresiarcharum* &c. Lugd. Bat. 1608. 12. v. VOGT Catal. libr. rar. pag. 290. 291. vid. etiam JORIS.

GERMANORUM aliquot illustrium, Carminum Liber singularis, de immanissima summéque miseranda Christianorum laniena, ab impiis & crudelissimis Galliæ Tyrannis, Lutetiæ Parisiorum, Lugduni item, aliisque ejusdem Regni locis truculentissime, sceleratissimeque patrata Anno Salutis 1572. una cum Epicediis & Epitaphiis quibusdam præstantissimi Herois *Casparis Collignii* Comitis Castilionæi, Amiralii Franciæ, nec non aliarum quarundam præstantium personarum Vilnæ 1573. 4. impressus est rarior.

GESNERI (*Conradi*) *Bibliotheca universalis* Tig. 1545. fol. Ea prima, luculenta & rarior est editio, operis omni laude dignissimi.

GEWOLDI (*Christophori J. C.*) *Defensio Ludovici IV. Imp. ratione electionis* contra Abr. Bzovium Ingolstadii ex officina. Ederiana 1618. 4. Hujus Libri raritatem unà cum Auctoris notitia, nobis tradit doctiss. SCHELHORNIUS in

Noe

Novellis Literar. A. 1742. m. mart. p. 172. seq.

GILLOTI (*Jacobi*) Senatoris Parisiensis, circà finem Seculi XVI. & principium Seculi XVII. florentis, merita in omnifariam eruditionem sunt notissima atque alibi à nobis commemorata: Liber verò ab ipso editus, sub titulo: *Missives du Concile de Trente.* Paris 1607. 8. & sequenti statim anno recusus 1608. est omnium rarissimus. Certè Cel. MOSHEMIUS in Ep: ad Matur. Veyss. de la Croze Thes. Epist. Croz. T. I. p. 277. testatur, quam doctiss. *Feldenius* Theologus Kiloniensis, editurus collectionem Scriptorum rariorum de Tridentino Concilio, eum dudum inquisivisset, neque tamen, etiamsi multam insumsisset operam, spes esset ipso potiundi: Deinceps Cl. SCHELHORNIUS in Amœnit. Hist. Eccles. T. II. p. 428. profitetur, se eum semel tantum in Bibliotheca Fabriciana Hamburgi oculis usurpasse. Est verò mihi illa prima rarissima 1607. editio, atque deinceps etiam ultima atque locupletissima horum actorum editio A. 1654. 4. à Cl. Puteanis fratribus procurata, ad manus. vid. INSTRUCTIONS.

GNIDII (*Matthæi*) Defenſio Chriſtianorum de cruce, id eſt, Lutheranorum, cum pia admonitione Fratris Thomæ Murner, Luthero-Maſtygis, ordinis minorum, quo ſibi temperet à conviтiis & ſtultis impugnationibus Lutheri. Hagenoæ A. 1520. 4.

Ejusdem Epiſtola ad eruditos Germaniæ, Martinum Lutherum, Ulricum Huttenum, & populum Germaniæ ibid. A. 1520. 4.

Uterque hic libellus à *Math. Gnidio*, Auguſtenſi, Rhetore & Poëta laureato conſcriptus inter rariſſima Reformationis documenta reperitur in Bibliotheca Baſileenſi, & in Biblioth. Rudolph-Auguſtina conf. HARDT Autogr. Tom. III. p. 39.

GOCHII (*Johannis*) cognomento *Pupperi*, Præfecti Virginum Mechlinienſium in Thabor, Scripta, *De libertate Chriſtianæ religionis*, de *Gratia & Fide*, de *Scripturæ S. dignitate*, de *ſtatu animæ poſt vitam*, de *Scholaſticorum ſcriptis*, de *Votis & obligationibus*, de *reparatione generis humani per Chriſtum*, omnia ſunt rariora, Uti dialogus ejus de *quatuor erroribus circà legem Evangelicam exortis* &c. in 4. excuſus commemoratur in Conr. Gesneri Biblioth. Univerſal. fol. 422. b.

Eſſe

Esse verò eadem sed manca edita refert FLACIUS in Catal. testium Verit. pag. m. 1910. edit. in fol. Cæterùm in Concilio Tridentino hæc eadem fuisse in prohibitorum Indicem relata testatur SWEERTIUS in Athenis Belgicis p. 430. atque etiam antehac jam ea publicè proscripta ex Codice Edictorum Flandriæ observat BRANTIUS Hist. Ref. Belg. L. I. pag. 56. Certè, cum ejus libellum *de Libertate Religionis Christianæ*, cum præfatione edidisset, *Corn. Graphéus*, Secretarius Antverpiensis licet innominatus, carceri is fuit mancipatus, uti colligitur ex *Brantii* Histor. l. c. p. 72. Sunt vero ipsius Graphei verba in præfat. cit. memorabilia:

Gocchius noster summatibus hujus ætatis theologis annumerandus in hoc negotio sic temperavit sermonem cum de votis & arbitrii nostri viribus, hoc est de re involuta & cum multorum indignatione conjuncta disputat, ut non in totum tamen vel rejiciat, vel damnet, ceu nullius momenti, rem monasticæ vitæ & sacramentorum rationem, modo suæ ditionis pomœria non dilatet h. e. ubi stultam non doceat inanium rerum confidentiam, ubi superstitionem reprimat, & fastum animo procul arceat.

vid.

vid. Gesn. Biblioth. loc. cit. Quidquid sit, ipsum Gocchium circa annum 1480. florentem atque Wesseli Gansfortii coætaneum, propter puriorem doctrinam celebrat & inter veritatis testes refert FLACIUS *Illyricus* l. c. & ex eo BRANTIUS l. c. p. 56.

GOMESII (*Bernardini*) Commentarius de Vita & rebus gestis Jac. I. Regis Arragonum, cognomento *Expugnatoris* Valentiæ 1582. fol. Lib. rarissimus in Bibl. Albini p. 31. n 363.

GONZALEZ (*Emanuelis*) liber *in singulos textus quinque Librorum Decretalium Gregorii X.* Lugduni A. 1693. extat in Bibliotheca Archiepiscopi Canterburiensis WILH. WAKII, recensente Cl. MAICHELIO in Lucubr. Lambethanis p. 123. Est hujus Libri Dedicatio curiosa non tam, ad ipsam B. Virginem, quam ad B. Virginis *Mariæ Imaginem*, his verbis concepta.

DEI PARÆ
VIRGINIS
IMAGINI,

Cui à multijugis Remediorum Beneficiis in urbe Salmantina NUMEN & NOMEN *quod inclyta Schola* ADORANS *per orbem diffundit*, TUTELARI,

PA-

PATRONÆ, OPTIMÆ, PIENTISSIMÆ, *ab ineunte ætate, auspicacique studiorum die gratus animi, voti compos, Zeli flagrans, ac amoris ardens, clientum Tuorum minimus*, EMANUEL GONZALEZ *in jus Canonicum commentaria dico, voveo, consecro.* Est is Liber Auctoris alioquin non spernendi, denuò Lugd. 1715. fol. V. tomis impressus, unà cum eadem illa Dedicatione fatuitatis & superstitionis plena.

GONSALVI (*Reginaldi Montani*) Hispani, *Sanctæ inquisitionis Hispanicæ artes aliquot detectæ ac palam traductæ.* Heidelbergæ 1567. 8. uti summam habent raritatem, ita bene factum est, quod easdem suo tractatui sub tit. *Hisp. Inquisitionis secretiora* Ambergæ 1611. 8. edito inseruerit personatus Joach Ursinus vid. URSINI. Gonsalvium ipsum Reformatum fuisse liquet, & quantum ex libelli ipsius lectione colligere licet, ex illorum numero unum, qui circa obitum Caroli V. Hispali detectis in Ecclesia Romana gravibus erroribus, ac superstitionibus, Ecclesiam Deum purius colentium instituerunt, quæ sævissima illa Inquisitione, cujus Actus Fidei A. 1559. Hispali & Pinciæ habiti sunt, dissipata est, observante Doctiss. LIMBURGIO in Præfat. ad Histor.

Inquisitionis à se editam. Translatum fuisse Gonsalvi librum in linguam Germanicam & Heidelb. 1569. 4. prodiisse refert SALIG Hist. A. C. T. II. p. 14. qui & Belgicam quæ Hagæ prodierit 1620. 4. commemorat versionem. Cæterum & commemorantur *De Inquisitione Hispan. Oratiunculæ septem* ex narrationibus Reginaldi Gonsalvi Montani. Heidelb. 1603. 12. apud SALIG l. c. p. 13.

GRAPALDI (*Francisci Marii*) *De Partibus* ædium Libros esse rariores notum est: Sunt ii impressi *Taurini* per Joannem Angelum & Bernardinum de Sylva A. 1516. 4. & *Dordraci* 1618. 8. Fuit is homo suo ævo eruditione admirabilis, teste BARTHIO Adversar. lib. 7. c. 10. qui & idem Lib. 35. c. 7. ita: *De Laternis*, inquit, *vide commentaria* Marii Grapaldi *de Domo: qui Philologus non contemnendi ingenii, authores habuit integriores, quam nunc extant, non paucos, uti exemplis Plauti, Petronii aliorumque alibi demonstrabimus*. cf. Vogt. p. 282

GRAPHÆI (*Cornelii*) Eximii hujus Viri, quique S. P. Q. Antverpiano à secretis fuit, Scripta omnia sunt rarissima; Inter ea sunt *Sacrorum Bucolicorum Eclogæ III.* Antv. 1536. itemque *de nativitate Christi* carmen pastorale. Porrò,

Quæ-

Querela proditi Christi per novos quosdam hujus temporis Ischariotas Turco-Christianos Ibid. 1543. 4. *Enchiridion Principis ac Magistratus Christiani*, adjutore Petro Ægidio. Coloniæ 1541. *Paraphrasis Psalmi* CXXIII. *in turpissimum selectissimi cujusdam prædonis* Martini à Rossem, *Gelro-Galli latrocinium*. Antverp. 1543. multaque alia; Ipse Auctor, Desiderii Erasmi amicus singularis, candore & constantia cumprimis excelluisse dicitur, uti singulare in ipso Latinæ Linguæ studium laudatur & antiquitatis cultura. Cæterùm, quod is abusus Pontificios non semel stylo notaret, is A. 1522. à magistris Inquisitionis carceri est mancipatus, ex quo, scriptâ eximiâ ad Johannem Carondiletum Archiepiscopum Panormitanum & Brabantiæ Cancellarium Epistolâ, *a*) tandem est liberatus. Obiit A. 1558. ætatis 76. sepultus Antverpiæ in templo primario v. SWEERTII Athen. Batav. p. 195. 196.

GRASSERI (*Conradi*) Franci, *Plaga Regia*, Hoc est, Commentarius *in Apocalypsin* S. Johannis, quatenus hæc reconditissima Prophetia hucusque per de-

a) Epistolam hanc totam nobis suppeditat BRANT in Histor. Ref. Belg. T. I. p. 71——79.

currentia Ecclesiæ Catholicæ fata impleta est, & hodie potissimum impletur. Tiguri 1610. 4. Est liber rarissimus teste J. J. BREITINGERO, Antistite Tigurino in Serm. Synodal. A. 1624. habito & inserto *Miscell. Tigur.* T. II. p. 498. qui simul Auctorem laudat, quod fuerit in linguis Sacris & Historiis versatissimus: Est verò *Caspar* WASERUS, V. Cl. Linguarum SS. in Schola Tigurina Professor, qui eum edidit, atque Jacobo I. Magnæ Britanniæ Regi dedicavit, atque Auctorem appellat *gente Francum, Theologum doctrina & pietate* a) *ceterisque virtutibus clarissimum:* Quod adtinet ipsum librum is methodo dialogistica conscriptus inter *Eusebium* & *Danielem*, non tam totum vaticinii Johannei corpus complectitur, aut doctrinas Theologicas qui-

a) Mirum est, qua de causa SANDIUS hunc Auctorem Bibliothecæ Anti-Trinitariorum inseruerit p. 86. In vita enim ejus quam Melchior Adami dedit, nihil reperitur, quod vel minimam hujus rei suspicionem injicere queat. Sed ille Arrianorum patronus, quid ageret, nescivit: Hinc dicit l. c. *Nescio an hic sit idem ille, de quo scribit Konigius in Biblioth.* &c. Constat etiam, quod homo toti mundo conetur Arrianismi suspicionem impingere, uti nonnemo de eo judicavit. M. H.

quibus refertum eſt, ſive, Locos communes cum apparatu ſcholaſtico pertractat, quam potius demonſtrare annititur, „ præſentes turbas, (quæ ſupe-
„ riori ſeculo inter oppugnatores &
„ propugnatores Papatus obortæ ſunt,
„ quæque nunc potiſſimum vigent,) à
„ Spiritu Sancto in Cap. XVI. Apoca-
„ lypſeos ſexta phiala ſive plaga accu-
„ ratè & ex profeſſo deſcriptas eſſe;
„ Ea nimirum ratione ut & veros earum
„ auctores ſatis evidenter deſignarit &
„ quæ cum iisdem per Orbem notatu
„ digniſſima accidere debuerint, diſer-
„ tè prædixerit, indicato ſimul iſto-
„ rum omnium eventu. „ Cæterum is tribus potiſſimum tractatibus hanc agit cauſam, in quorum primo *Hypotheſin plagæ Regiæ* tradit, atque id agit, ut oſtenſo in Eccleſiæ Catholicæ adhuc peractis fatis hiſtoriæ propheticæ decurſu, ipſius textus obſcuriores nodos, qui lectionem remorantur, explicet, remotisque ex via hiſce ceu ſalebris Lectorem ad ſua usque tempora & ſic in rem præſentem deducat: In ſecundo, *Hiſtoriam plagæ regiæ*, ut appellat, ex Cap. XVI. aliquantò latius deducit, in qua deductione judicat ſextam phialam, quam Angelus in Euphratem effundit, præſens (quod ipſe vivebat) ſeculum con-

cernere &c. In tertio, *Illustrationem plagæ regiæ* tradit, atque cumprimis Visionem Fratris cujusdam *Nicolai Helvetii* illustrare satagit, per quam is censet illam Partem hujus plagæ repræsentari, quæ Europam, ejusque intestinos motus concernit.

GRASSERI (*Jac.*) de Antiquitatibus Nemausensibus dissertatio Paris. 1607. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 176. Sed, ea jam cum *Thesauro Antiquitatum Salengriano* legatur inserta, ut non amplius inter rariores recenseatur libros, necesse est.

GROPPERI (*Joh.*) *Enchiridion Christianæ Institutionis in Concilio Provinciali Coloniensi* 1536. editum. Paris 1550. 4. Opus perrarum. Cujus, quanquam Auctoris nomen præfixum non sit, Auctor habetur *Gropperus*, Archidiaconus Coloniensis, Reformationis primo Fautor, deinceps adversarius. Laudatur ab his culpatur ab illis. v. SECK. Hist. Luth. edit. German. per *Frickium* curatæ, L. III. §. 70. pag. 1563. & L. IV. §. 32. p. 2201.

GROTII (*Hug.*) Syntagma Arateorum Gr. Lat. cum fig. Ex offic. Plantini 1600. 4 Lib. rar. in Bibl. Albin. p. 99.

GRYNÆI (*Joh. Jac.*) Oratio de Viris Illustribus, quorum opera in reforman-

dis

dis Ecclesiis Deus usus est. Biponti. 1612. 8. rarior est & parum obvia. Est verò hæc Oratio non separatim edita, sed adjecta ejus *Epistolarum Theologicarum libro primo*, uti hæ ipsæ *Epistolæ* ab *Abrah.* SCULTETO. Biponti 1612. 8. editæ sunt rariores.

Cæterum extant ejusdem GRYNÆI *Demonstrationes S. Evangelistarum Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis, quæ clarissimè ostendunt, Dominum Jesum esse Christum, & credentes vitam habere per nomen ejus* &c. Basil. 1588. 4. De quibus ita J. A. FABRICIUS in Syllabo scriptorum de verit. relig. Christ. p. 35. *Jure meritoque* ait, *hanc in rem laudatus mihi suprà B. Benthemius commendat J. J. Grynæi librum* rarius *hodie obvium, cui titulus S. Evangelistarum Demonstrationes* &c.

GUARINI (*J. Bapt.*) *Apologia pro Epicuro:* Eam citat. GASSEND. L. VII. c. 7. p. 188. & MORHOF in Polyh. l. II. c. 7. §. 5. p. 192. quanquam eorum neuter ipsum librum oculis usurpaverit, quippe quem Naudæus quoque ne in Italia quidem invenire potuerit v. Cel. BRUCKER. Hist. Crit. Philos. T. II. pag. 498.

De GUELPHORUM & Gibellinorum, quibus olim Germania nunc Italia

exardet Origine, libellus eruditus, in quo ostenditur, quantum in hac re scriptores, Bartolus, Panormitanus, Blondus, Platina & Georgius Merula Alexandrinus à veritate aberraverint. Basil. apud Andr. Cratandrum. 1519. in 4. ex libri hujus, quem integrum apposui, titulo constare possit, quemnam scopum Auctor sibi habuerit propositum. Liber autem plurimorum eruditorum oculis se subduxerat. M. H.

GUTTELII (*Casparis*) *Sermones quadragesimales*, uti reliqui ejus libri valde utiles, sunt rarissimi: Erat is inter eos qui tempore Reformationis de statu Ecclesiæ & religionis cum Luthero non communicaverat, sed Dei Spiritu, ut alii multi, motus, errores & abominationes Ecclesiæ Romanæ aggressius erat; In Sermonibus hisce, quos ALBERTO Moguntino Electori & Archiepiscopo dedicavit, „ is rogat eundem, ut perpendere velit per longum „ tempus clarissimum Dei verbum obfuscatum esse, & ad commodum & „ privatam utilitatem Clericorum turpissime flecti &c. „ Et, quasi optimus vir divinaret, „ Romanum Pontificem omnibus modis liberum Concilium à Cæsare promissum, impediturum esse affirmat, eaque propter „ per

„ per nomen Domini Electorem admo-
„ net, ut Auctoritate Archiepiſcopali,
„ vique Juris ſui in Germania, Syno-
„ dum loco commodo indicere, & ce-
„ lebrare velit.„ Non ſine animi commotione legi poſſunt cætera, quæ pientiſſimus *Guttelius* in ſupplicatione iſta addit. Conferri de reliquis GUTTELII Scriptis meretur Ill. SECKENDORF. Hiſt. Luth. L. I. §. CXXXIX. Addit VII. fol. 247-251. *qui ea fermè in oblivionem veniſſe* conqueritur, uti jam obſervavimus in Hiſtor. Evang. renov. Tom. II. pag. 86. 87. conf. STRUV. Bibl. Antiq. Ann. 1705. p. 352.

HADDONIS (*Gualteri*) *Lucubrationes paſſim collectæ & editæ Londini apud Gulielmum Sereſium* 1567. 4. longe ſunt rariſſimæ, variaque continent ad Hiſtoriam Reformationis Anglicanæ ſpectantia. Erat Auctor, Reginæ Eliſabethæ a ſupplicum libellis. Collegit eas & edidit THOMAS HATCHERUS Cantabrigienſis, easque dedicavit Clariſſimo viro *Gulielmo Cecilio*, Equiti, ſereniſ. Reginæ conſiliario intimo & Acad. Cantabrigienſis cancellario. In ipſo libri titulo, ad Lectorem hi leguntur verſus.

Ne quæras, Lector, cur, quæ juveniliter olim
Scripserat Haddonus, publica facta legas.
Omnia conjunxi, quia mel, quia succus in illis,
Et condita suo quæque lepore juvant.

Constant vero hæ Lucubrationes Orationibus, epistolis & carminibus quibusdam eleganter compositis. Inter Orationes ejus, memorabilis est illa, quæ pag. 83. & seqq. legitur de Obitu *Martini Buceri*, quem *divinissimum* appellat *præceptorem*, *cujus naturam omnibus doctrinarum luminibus & virtutum ita compleverat Deus, ut unus nostra ætate dignissimus immortalitate videri possit.* Sed & memorari meretur ea quæ in obitum *Henrici & Caroli* Fratrum Suffolciensium legitur. *Epistolæ*, sunt scriptæ ad Carolum *Brandonum* ducem Suffolciensem. Ducem Northumbriensem. Johannem *Checum* equitem, Georgium *Dejum* Licestriensem episcopum. Richardum *Coxum*, eleemosynarium regium, Th. *Wilsonum*, Hieronymum *Osorium*, Rob. *Dudlejum* Comitem Leicestriensem, Thomam *Smithum*, equitem. Th. *Henneagium.* Johannem *Sturmium* & alios. Atque inter eas eminet, quæ ad *Osorium* Lusitanum est scripta a pag. 210—268. prorsus eximia, quæque *Apologiam* continet *Reformationis*

Angli-

Anglicanæ, quam *Hier. Oſorius* impiæ & invidioſæ novitatis ream fecerat. De hac Apologia egregium eſt THOMÆ SMITHI Legati Regii in Gallia in Epiſtola *ad Haddonum* A. 1565. d. VI. Aprilis data judicium: „ quia rogitas, „ quid de reſponſo tuo ad Oſorii crimi- „ nationes judicem, uno verbo reſpon- „ debo, nihil eſſe, quod a te proficiſ- „ catur, quod non mihi verbis Lati- „ num, ſermone terſum, & ſententiis „ videatur grave. Hoc unum in illo „ non probabam opere, cum nimium „ impari videris adverſario conflictari, „ qui nihil præter nudam Ciceronis „ imitationem afferat, rem ipſam, de „ qua agit, ignorat. Id quod tu ſum- „ ma cum modeſtia, & minimè denta- „ tis verbis, tamen quaſi indice com- „ monſtras. „ Prouti idem SMITHUS in alia quadam ad Prætorem Galliæ Epiſtola pag. 314. & ſeq. ſuam de hoc ipſo HADDONI libello Apologetico, quem ſummis extollit laudibus, exponit ſententiam. Inter *Poëmata* ejus collaudari meretur ejus *Verſio Poëtica Epiſtolæ divi Jacobi*, quam alio forte tempore, ut à pluribus legi poſſit, curabimus, dum nunc ejus in MART. BUCERUM ſpeciminis loco exhibemus Elegiam: quæ pag. 88. legitur.

Germanis o flende tuis, o flende Britannis,
Omnibus o terris flende Bucere jaces.
Te Schola nostra suum desyderat orba magistrum,
O, Schola sublato debilitata duce.
Membra quidem Christi sunt nobis multa relicta,
Sed caput his membris quod fuit, illud abest.
Et caput excellens, quo toto doctius orbe
Non fuit, & non est, nec fore, credo, potest.
Vita fuit similis doctrinæ sancta probatæ,
Utraque laus illi propria semper erat.
Summe Deus, lucem nostris infunde tenebris
Pectora Scripturis, imbue cœca sacris,
Qui fuit, & tuus, & noster, nunc desiit esse
Noster, & in cœli parte Bucerus inest.
O Martine vale, Christi præclare minister,
O Cantabrigiæ gemma, Bucere vale.
Est tua conditio felix, qui fæcibus ægri
Corporis abjectis, gaudia mentis habes.
Nos miseri, nostro qui te pastore remoto,
Ibimus incertis inscia turba viis.
Tu Deus, o nostri communis pastor ovilis,
Martino similem præfice, quæso, virum.
Sic simul in cœlo civis potes esse Bucere,
Et simul in terris esse Bucere potes.

Uti pag. 101. In *exhumationem* atque *restitu-*

stitutionem Martini Buceri hoc reperitur Epigramma:

Ergo tuos cineres effodit dira tyrannis!
Credidit & nullos esse Bucere Deos!
Non ita, sed Deus est summus virtutis amator,
Et gravis admissi criminis ultor erit.
Frende Satan, jaculare minas, & concute dentes,
Nulla dies Christi lædere membra potest.
Tristia præclari flagrabant busta Buceri,
Cum Satan ignivomo sparserat ore faces.
Sed Domini clemens extinxit dextera flammas,
Atque novo cineres fecit honore coli.
Sic pietas tandem victrix super æthera scandit,
Subjicit & Christo colla superba Satan.

HADRIANI DE TRAJECTO, (Episcopi Cardinalis & Academiæ Lovaniensis Cancellarii.) Quæstiones quodlibeticæ &c. Lovanii 1518. Opus appellatur summæ raritatis in Bibl. Uilenbroekiana altera pag. 7.

HALLI (*S. T. B.*) Το άλας της γης, sive, Apologia pro Ministerio Evangelico Auctore *Thoma Hallo* Ecclesiæ Norton. Regis Pastore Francof. 1658. in 8. Liber est in nostris oris rarò obvius. M. H.

HÆM-

HAEMSTEDII (*Adriani*) Martyrologium lingua Belgica exaratum & 1559. 4. editum, ac elapſo ſeculo 1659. fol. recuſum opera Johannis Gyſii V.D.M. eſt rariſſimum. Eſt Haemſtedius natione Zelandus, de cujus vita HARKENROHTIUS plura in *Bibl. Brem.* habet Cl. V. p. 711. & ſqq. omnium primus, qui *Hiſtoriam Martyrum* belgico idiomate typis evulgavit: Hoc verò ipſum Martyrologium Proceribus Belgii Brabantiæ, Geldriæ, Flandriæ & Hollandiæ eſt inſcriptum, & recenſuit illud inter rariores jam libros Vogtius p. 289. 290. v. Harkenroth. l. c. p. 715. a) Cæterùm eundem errores aliquando Anabaptiſticos in Eccleſia Belgica Londinenſi diſſeminare cepiſſe, ex Ep. Edm. Grindalli evincit, *Theod.* HASÆUS in Bibl. Brem. Cl. VI. p. 1171. cui nequicquam à Rev. Meiners in Hiſt. Ref. Friſ. Orient. objicitur, quod alium forte *Adrianum* intelligat Grindallus; Sunt enim mihi propius introſpecta, quæ circa *Haemſtedium* noſtrum, nimiæ ſaltem erga Anabaptiſtas moderationis accuſatum, in Eccleſia Londinenſi Belgica tum temporis geſta ſunt, Acta, alio loco fortaſſis edenda.

HA-

a) Conf. Ampl. de la RUE in *Zeelandia literata* pag. 542——646.

HANETONIUS (*Guil.*) de Judiciorum ordine ac forma. Duaci 1570. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini.

HARDENBERGII (*Alb.*) *contra falsò nominatam corporis Christi ubiquitatem* scriptum, unà cum Elardi Segebadii de ubiquitate scripto adv. Hardenbergium, & A. Hardenbergii brevi & aperta controversia de Eucharistia explicatione. Mylœcii excudebat Petrus Fabricius 1564. 8. Est opusculum rarissimum, quodque SALIGIUS in his talibus ceteroquin versatissimus manibus tractasse non videtur cum is in Hist. Aug. Conf. T. II. p. 738. illud El. Segebadii scriptum, adversus *Durimontanum* (quomodo Hardenbergium notabat) citet tanquam MSS. Cæterum de Hardenbergio, uti admodum leviter agit BAYLIUS, ita accuratius aliquando differendi dabitur ansa.

HAYMONIS (*Episcopi Halberstadiensis*) Expositio in omnes epistolas Pauli. Argent. 1519. 4. Opus rarum, teste BARTHOLINO de morbis Biblicis c. 24. p. 84. & T. H. HONERTO in Prolegom ad Ep. ad Rom. p. 21. & seqq. Est vero hæc editio, ob editoris epistolam dedicatoriam memorabilis, quod vivum in ea veritatis, & corruptæ à Scholasticis Theologiæ exhibetur testimonium.

Ha-

Habemus ejusdem HAYMONIS quoque in XII. *Prophetas minores enarrationem*, & ejusdem in *Canticum Canticorum commentarium* Colon 1526. 8. Porro, ejus quoque *Commentariorum in Apocalypsin beati Johannis Libros VII.* Colon. ex officina Eucharii 1531. 8. Itemque, *Piam brevem ac dilucidam*, uti habet libri titulus, *in omnes Psalmos explanationem Sanctissimi viri; D. Haymonis olim Episcopi Halberstattensis, quam ille veluti spiritualis apicula ex omnium veterum hortis ac pratis florentissimis decerpsit, quo simplicibus & occupatis esset parata saluberrimi mellis copia. Antverpiæ ex* officina Graphei A. MDXXXIII. 8. Cui operi Des. ERASMUS Roterod. Præfationem sive Epistolam dedicatoriam præmisit, ubi inter alia: „ Ad Hay„ monem, inquit, redeo, qui Davi„ dicam cytharam pulsans angelicum „ cœtum vestrum ad spirituales excita„ bit choreas, ut in hymnis & canticis „ domino psallatis in cordibus vestris. „ Nemo fastidiat dictionis simplicita„ tem, sed amplectatur sententiarum „ pietatem. Hoc eò admoneo, quod „ suspicer multos esse tales, qui nau„ seant ad omnia, quæ carent rhetho„ rum condimentis & ornamentis. Sed „ quum essem parvulus in Christo, sapie-

„ piebam ut parvulus, atque utinam „ nunc quoque prorſus evacuaſſem ea „ quæ ſunt parvuli.

HEIDENSTEINII (*Reinaldi*) Secret. Regii *De bello Moscovitico* commentariorum libri ſex. Cracoviæ 1584. fol. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 38. n. 409.

HELDVADERI (*Nicolai*) *Hiſtoriam Septentrionalem* ab A. 1500-usque ad annum 1623. ſynopticè ſcriptam & Hamburgi A. 1624. excuſam refert SECKENDORFIUS in Hiſt. Lutheranismi L. I. §. 149. fol. 269. Scripſit verò is quoque *Deſcriptionem Urbis Slesvicenſis* quæ lingua Germ. A. 1603. 4. prodiit, & ad quam notas & ſupplementa nobis dedit *Ulr.* PETERSEN JCtus Slesvicenſis inſerta *Biblioth. Danicæ* T. VI. p. 430. & ſqq.

HEMELARII (*Johannis*) *Hagienſis Batavi*, Canonici Antverpienſis, Liber *de Nummis* raro reperitur v. COLOMES Opuſc. p. 838. Titulus ejus eſt: Commentarius in Numismata Impp. Rom. à Julio Cæſ. ad Heraclium ex Bibliotheca Ducis Arſchotani foras data, Antverp. apud Verduſſium A. 1614. 4. de Auctore vid. SWEERT. Athenæ Batav. fol. 436. Sed optima editio eſt 1627. v. COLOMES l. c. pag. 428. conf. BAYLE in voc. *Hemelar*, qui

& tertiam commemorat editionem A. 1654. in fol. factam.

HENRICI VIII. Regis Angliæ Liber adversus Lutherum, quod hodie longe sit rarissimus, notum est; Est vir Cl. van Seelen, qui in Στρωμασι Lutheranis ejus exhibet titulum p. 1009. *Assertio septem sacramentorum adversus Martin. Lutherum, edita ab invictissimo Angliæ & Franciæ Rege & Domino Hyberniæ Henrico ejus nominis octavo.* Ea verò, quam ipse possideo, editio prima & originalis Londin. 1521. 4. prodiit, atque hunc habet titulum.

„ Libello huic regio hæc insunt. „ Oratio Joannis Clerk apud Ro. Pontif. in exhibitione operis regii. Responsio Ro. Pontif. ad eandem ex tempore facta. Bulla Ro. Pontif. ad regiam majestatem, pro ejus operis confirmatione. Summa indulgentiarum, libellum ipsum regium legentibus, concessarum. Libellus regius adversus Martinum Lutherum hæresiarcham. Epistola regia ad illustrissimos Saxoniæ duces pie admonitoria. „

HENRICI Junioris Brunsvicensis & Luneburgensis Ducis *Vera, constans & solida Responsio, ad Cæsaream & Regias Majestates*, Electores, Principes & Sta-

Status Imperii Romani, adverſus Electoris Saxoniæ & Haſſiæ Landgravii eorumque Lutheranæ factionis complicium, excuſationem, quod bello illum impetiverint, eumque ſuo ducatu ejecerint, nuper Spiræ in comitiis habita. Actum 23. Aprilis 1544. ſine loco aut nomine impreſſoris fol. Eſt rariſſimum quod Uilenbrœkiana habuit Bibliotheca ſcriptum v. Catal. II. p. 137. n. 948.

HEURNII (*Ottonis*) libellus, ſub titulo *Antiquitatum Philoſophiæ Barbaricæ* Lugd. Bat. 1600. 12. editus, rarus quidem, uti multa erudite cumulat, ſed ſine judicio, ſine ordine, ſine perſpicuitate. v. BRUCKER. Hiſt. Coit. Philoſ. p. 106. lit. (*t.*)

HEUTELIA, das iſt, Beſchreibung einer Reiſe, ſo Zween Exulanten durch Heuteliam gethan darinn verzeichnet, imm Jahr 1658. in 8vo. pagg. 297. Quis rarioris hujus libri autor ſit. ignoratur. Nonnulli eum putant fuiſſe nobilem quendam Scaphuſanum ex Peierorum familiâ, alii alium. Qualis autem cunque fuerit, imitatus Biſſelii Jeſuitæ Icariam, penicillo Satyrico Helvetiam depinxit. Addita eſt clavis, ſed tamen imperfecta, quæ tamen à rerum Helveticarum illius temporis gnaris facilè ſuppleri poteſt. Chriſtianus GRY-

PHIUS in App. de Script. Sec. XVII. Cap. VII. p. m. 411. ita de hoc libello judicat: Interiora ſcrutari deſiderantibus mirifice juvabit Anonymi cujusdam Heutelia, ſive Iter per Helvetiam inſtitutum. Eſt ille liber omnino inter rarioris civilis prudentiæ inſtrumenta numerandus, ideoque noſtris diligenter commendatur, ut, ſi facultatem nanciſcantur ejus potiundi, illam minime inſuper habeant. M. H.

HOFMEISTERI (*Joh.*) vid. ACTA.

HOFMEISTERI (*Sebaſt.*) Acta und Handlung des geſprächs ſo von allen Prieſteren der Tryen Pündten imm MDXXVI. jar uft Mentag und Zinſtag nach der Heiligen III. Künigen tag zu Inlanz imm grauen Pundt uſs anſehung der Punds herren geſchehen durch Sebaſtianum HOFMEISTER von Schaffhuſen verzeichnet in 4to.

Auctor iſte Seb. *Wagner* alias *Hofmeiſter* Th. D. & Monachus Franciſcanus fuit Eccleſiæ Scaph. Paſtor, non Antiſtes, uti Otto *Melander* in Jocoſeriis perperam ſcripſit, tandem obiit Zofingæ. Quod Reformationis apud Scaphuſ. magna pars fuerit, & hoc opus cum Sebaſtiano *Hofmanno* itidem Theologiæ doctore, atque Erasmo *Rittero* ſtrenué urſerit, prolixe docet *Leon-*

hardus

hardus MEJERUS in libello Germanicô de Reformatione Eccleſiæ Scaph. conf. etiam HOFMANNI Lexicon, qui hoc addit Diſtichon.

Dum te Chriſte loquor, patriis agor exul ab oris
Sed tecum Jeſu quis procul exul erit?

Plura dabit Celeb. SCHEURERUS qui ab aliquô tempore totus in eò eſt, ut vitas excellentium Virorum *a*), quibus Reformatio in Helvetiâ plurimum debet, in clariore luce collocet.

Ad libellum autem modò memoratum quod attinet, ejus raritas effecit, ut Vir Cl. *Joh. Conradus* FUESLINUS illum rarioribus, quæ laudabili conatu colligit, monumentis hiſtoriam Helvetiæ illuſtrantibus inſereret. M. H.

HOLBEINII (*Hanſii*) Icones Hiſtoriarum Veteris Teſtamenti, ad vivum expreſſæ, extremaque diligentia emendatiores factæ, Gallicis in expoſitione homœoteleutis, ac verſuum ordinibus (qui prius turbati ac impares) ſuo numero reſtitutis. Lugduni apud Johannem Frellonium 1547. 4.

a) Conf. *Hiſtor. noſtr. Reformationis* T. II. p. 249. 250. 289. 361.

HOLDERI (*Wilhelmi*) Mus Exenteratus à Cel. VOGTIO recte inter libros rariores numeratus est. p. 313. Comitem nunc ei dabimus alium ejusdem Auctoris librum huc pertinentem, qui priori raritate non cedit. Hujus igitur titulum totum adscribam:

Petitionum exhortatorium pro resolutorio super grossis quibusdam dubietatibus & quæstionibus, ut subtilibus ita multum ædificabilibus, circa Sacramentum initiativum, quod vocant Intrantium sive Baptismi, ex variis & in Ecclesiâ Romanâ probatis auctoribus compilatum & comportatum, in gratiam & honorem Myocephalorum quorundam Ingolstadii Mures exenterantium, unà cum prævio præloquiô responsivô, & respectivè reprehensivô, sive petulantiæ Jesuiticæ repressiuo, pro Mure Exenteratô per Fratrem *Wilhelmum de Stutgardia* Tubing. 1594. in 4.

Auctor iste pro festivo suo ingenio data operâ hoc stilo Obscurorum Virorum utitur, ut Antagonistas suos, qui has stili sordes atque quisquilias amant, ridendo egregie depexos dare posset. M. H.

HOOPERI (*Georgii*) Conjecturæ *de Valentinianorum hæresi*. De iis ita *Magnus*

Cru-

Crusius in Diss. Epistol. ad Chr. Wormium pag. 16. *placuit subjungere Georgii Hooperi, reverendissimi longeque doctissimi Bathoniensis & Wallensis in Anglia Episcopi, Conjecturas de Valentinianorum haeresi, quibus illius origo ex Ægyptiaca Theologia deducitur. Quae dissertatio non nisi paucissimis visa, vel in ipsa Anglia instar MSSti habetur, cum viginti tantùm exemplaria sumtibus auctoris in amicorum usum impressa fuerint.* cf. Thes. Epistol. de la Croz. T. I. p. 102.

HORATIUS *Dionysii Lambini* Venet. 1566. 4. vid. SCHELHORN. Amœnit. Hist. Eccl. & Lit. T. II. pag. 626. & Biblioth. Nov. libr. *Neocori & Sikii.* T. III. p. 566.

HOUTUYN (*Adriani*) JCti *Politica contracta generalis* notis illustrata Hagæ-Com. 1681. in 8. De hoc libro ita judicat Cl. TILLIUS in Bibl. Theol. p. m. 58. Rarus hic liber est, sed & præclarus, qui considerat obligationes hominis ante fœdus Politicum. Multis debellat Impietates Hobbesianas & feliciter quidem. M. H.

JEZLERI (*Joh.*) *Schaphusiani De diuturnitate belli Eucharistici* liber unus. Tiguri 1584. 8. De hujus libri rarissimi sed eximii qui ex Bibliotheca V. Cl.

J. ALB. FABRICII ad nos pervenit, argumento vid. St. VITI recenſ. in Bibl. Brem. Cl. IV. p. 532. & ſeqq.

IGNATII (*Loyolæ*) *Conſtitutiones Societatis Jeſu*, Hiſpanica lingua conſcriptæ, ac à *Johanne Polanco* in latinum converſæ, atque novem voluminibus a *Jeſuitis Antverpienſibus* exſcriptæ typis, longe ſunt rariſſimæ. Jeſuitæ enim, cum aliis nollent arcana ſua communicari, omne ſtudium ac diligentiam adhibuerunt, duobus ſemper Patribus prelo adſidentibus, ne complura quam opus erat exemplaria exſcriberentur, quando hæc ipſa arcana ſibi propria quoque adſervabant, nec quidquam eorum in alienam inciderat manum. Accidit verò deinceps ut ætate *Cromvelli* in Anglia Patres quidam contra edictum deprehenſi in *Tullianum carcerem* conjicerentur, apud quos cum earum *conſtitutionum* exemplum offenderetur, Amſtelodamum illud eſt transmiſſum, ibique apud *Joh. Schipperum* eſt excuſum. Interea Jeſuitæ indigniſſime hoc ferentes, & rerum ſuarum invidi maxime, ad Schipperum protinus accedunt, & de redimendis omnibus exemplis cum ipſo agunt, ea tamen lege, ut religionis ſacramento ſe prius obſtringeret, ſe nulla reſervaturum exempla &c. v. Ce-

leb.

leb. MASTRICHTII not. in PLACCII *Theatr. Anonym. & Pseudonym.* pag. 125. n. 761.

Quænam autem hisce *Constitutionibus Societatis Jesu* Antverpiæ apud Johannem Meursium 1635. 8. editis, contineantur, cum earum exemplar quoddam, singulari fortuna ad ipsas nostras pervenerit manus, ex sequenti tabula cognóscetur.

A. Litteræ Apostolicæ, quibus *Institutio*, Confirmatio & varia Privilegia continentur *Societatis Jesu.* Sunt verò hæ Litteræ Pauli III. Julii III. Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Gregorii XIV. Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII.

B. *Constitutiones* Societatis Jesu & *Examen* cum Declarationibus.

C. *Regulæ* Societatis Jesu auctoritate Septimæ Congregationis Generalis auctæ.

D. *Decreta* Congregationum Generalium Societatis Jesu.

E. *Canones* Congregationum Generalium Societatis Jesu.

F. *Formulæ* Congregationum in quarta generali congregatione confectæ & approbatæ, in sexta & septima recognitæ & auctæ.

G. Ratio atque *Institutio Studiorum* So-

cietatis Jesu Auctoritate septimæ Congregationis generalis aucta.

H. *Ordinationes* Præpositorum Generalium communes toti Societati, auctoritate septimæ Congregationis Generalis contractæ.

I. Compendium *Privilegiorum* & Gratiarum Societatis Jesu.

K. Instuctiones ad *Provinciales* & *superiores* Societatis auctoritate Congregationis VII. ut directiones tantum, seorsim impressæ.

L. R. P. Claudii *Aquavivæ* Societatis Jesu Præpositi Generalis *Industriæ* pro superioribus ejusdem Societatis ad curandos animæ morbos.

M. Claudii *Aquavivæ* &c. *Instructio pro superioribus* ad augendum conservandumque spiritum in Societate.

N. *Exercitia Spiritualia* S. P. Ignatii *Loyolæ*.

O. *Directorium* in Exercitia spiritualia S. P. N. Ignatii.

P. *Epistolæ* Præpositorum Generalium ad Patres & Fratres Societatis Jesu.

Q. *Index Generalis* in omnes libros instituti Societatis Jesu.

ILESCAS (*Gonzalo de*) Opus Historicum *de Pontificibus Romanis* quinque in forma maxima voluminibus constans, & lingua Hispanica Madriti 1672. editum inter

inter rariores connumeratur libros, teſte Cel. Joh. Chriſtoph. WOLFIO ad Cl. de la Croze in Theſ. Epiſt. T. II. p. 233. qui & p. 275. obſervat, quod præter hæc quinque detur adhuc unum in Duas partes diviſum, quarum prior eandem hiſtoriam usque ad Ann. 1634. poſterior usque ad ann. 1645. producat. Auctorem verò illius eſſe *Jo. Banos de Velasco.* quod volumen prodierit Madriti 1678. In Bibl. Vilenbroekima p. 23. dicitur. „ Totum hoc opus ſex „ partibus comprehenſum in ipſa Hi- „ ſpania eſt rariſſimum, & magni pre- „ tii. „

INGHEN (*Marſilii ab*) Memoria, Oratione atque epigrammatibus quamplurimis celebrata Heidelbergæ MCCCC xcix. 4. Monumentum ad Antiquitates Academicas faciens rariſſimum; Libelli titulus hic eſt:

Ad illuſtriſſimum Bavarie ducem Philippum *Comitem Rheni Palatinum*; *&* *ad nobiliſſimos filios* Epiſtola.

§. *Oratio* continens dictiones clauſulas & elegantias oratorias cum ſignis diſtinctis.

§. *Epigrammata* in divum *Marſilium* inceptorem plantatoremque *Gymnaſii Heidelbergenſis.*

Mar-

Marsilio quisquis depromit carmine laudem
Stent sibi pro meritis premia digna suis.
Vivat ter centum, quot Nestor vixerat annos
Elysium repetens post sua fata nemus.

In *Epistola*, quæ ab ipsis doctoribus & Magistris Academiæ Heidelbergensis est scripta, refertur, quomodo Rupertus Imp. Universitatem Heidelbergensem condiderit, *accersito* ad se *Parisiis*, *primum optimo præstantissimoque Philosophiæ sacrarumque literarum Monarcha* MARSILIO, *qui multo nimirum labore hanc Vestram*, ita principes suos alloquuntur, *literariam vineam plantavit, coluit, fructiferamque fecit, nec ingenii neque corporis viribus, sed neque rei familiari pepercit, quin optime Gymnasium institueret, bona semina jaceret, voluminibus locupletaret, leges sanciret, monumenta in dialecticis, in physicis, ac in sacris literis post se relinqueret, quæ vel exteri avidissime petunt, & non parvo ere exscribi sibi curaverunt &c.*

Oratio ipsa nomine ipsius Marsilii ab iisdem doctoribus Heidelbergensibus est composita, atque ita inchoat: MARSILIUS DE INGHEN *Trajectensis diœcesis philosophus & Theologus, primus plantator & institutor universitatis Heidelbergensis omnibus ejusdem studii gymnosophi-*

ſophiſtis. Quouſque vos Heidelbergenſes gymnoſophiſte me ſinitis obſecro in carie & ſitu &c.

In Epigrammatum collectione principe loco ponitur ejus Epitaphium, quod Heidelbergæ ipſi eſt erectum, cum illa ſubſcriptione.

Anno domini MCCC LXXXXVI. *obiit magiſter Marſilius de Inghen ipſo die Bernardi.*

Inter reliqua quæ magno hic numero cumulantur epigrammata in laudem Marſilii fabricata, eminet illud *Jodoci Galli* Rubeaquenſis S. Th. profeſſoris.

Octo ſuper luſtris carie ſqualore ſituque
Mortuus obſcuro pulvere delitui.
Spretus ab his noſtros qui non ſenſere labores
Et quorum ſtudii ſemina prima dedi.
Sed tandem licet invideant, regnante Philippo
In lucem clarus prodeo Marſilius.

Itemque illud *Henrici Eckii* adoleſcentis

Quid tu Marſilium ſubinde carpis
Tanquam audax facinus ſit arduumque
Barbam vellere mortuo leoni,
Non impune feres: leo tametſi
Occidit: catuli tamen ſuperſunt
Qui patrem bene vindicare norunt.

Id vero memorabile est, quod sub fin. hujus libelli, „ *Johannes Gensz-* „ *fleisch a)* artis impressoriæ repertor di- „ catur, qui de omni natione & lingua „ optime sit meritus, & cujus ossa in „ Ecclesia divi Francisci Moguntinæ „ cubent. „ Quando integrum opus hoc Epigrammate JACOBI WIMP-FELINGII Sletstattini in felicem artis impressoriæ inventorem finit:

Fœlix Ansicare (*i. e.* gansfleisch) *per te*
Germania fœlix
Omnibus in terris premia laudis habet.
Urbe Moguntina divino fulte Joannes
Ingenio: primus imprimis ere notas.
Multum relligio, multum tibi greca sophia
Et multum debet lingua latina tibi.

Cæterum & à Cl. FABRICIO in Biblioth. Latin. med. & infimæ Latinit. Lib. XII. p. 101. quædam de *Marsilio* traduntur, uti, quod is præter Dialecticam notabilem & commentarios in Aristotelem, scripserit in IV. Libros sententiarum Quæstiones, quas *manu Marsilii scriptas* asservari in Bibliotheca Heidelbergensi notavit TRIT-

HE-

a) Erat enim hoc *Guttenbergii* quoque nomen familiare, ut diceretur *Gensfleisch à Sorgenloch* vid. SCHELHORN. Amœn. Literar. T. IV. p. 301. 303. not. (a)

HEMIUS: Quæ tamen & ipsæ typis sunt exscriptæ atque in Catal. Vogtiano ex Actis Franconicis citantur inter libros rarissimos: Est & mihi: *Oratio funebris in exequiis venerabilis Magistri Marsilii de Inghen* (ita fert titulus) *diœcesis Trajectensis, primi Universitatis Heidelbergensis plantatoris, habita per Magistrum Nicolaum Prowin, sacræ paginæ Professorem. Anno Domini* 1396. *in Ecclesia Sancti Spiritus Heidelbergensi.* Quæ tamen nihil memorabile continet, subjecit eam *Monumentis Heidelbergensibus* A. 1612. 4. editis. *Melch.* ADAMI.

INSTRUCTIONS *& lettres des Rois tres Chrestiens & de leurs Ambassadeurs & autres actes concernant le Concile de Trente pris sur les originaux. Quatrieme edition revue & augmentee d' un grand nombre d' actes & des lettres tirez des memoires de M. D.* à Paris A. 1654. *avec privilege du Roy* in 4. Quam hæc collectio fratrum *Puteanorum* de Actis Concilii Tridentini sit omnium dignissima & præstantissima, sed quam ea quoque longe sit rarissima, indicant Cl. SCHELHORNIUS in Amœnit Hist. Eccles. T. II. p. 424. qui eam ipse possidet, & Cel. MOSHEMIUS in dissert ad Hist. Eccles. pertinent. p. 383. itemque doctiss. AYMONIUS in Literis

teris suæ Epistolarum *Caroli Vice comitis* editioni præmissis.

Philippus equidem LABBEUS in Indice suæ Actorum concilii collectionis, *Alia* inquit, *monumenta quamplurima, quæ ad hoc concilium attinent, videri possunt in collectione Puteanorum fratrum, quæ in omnium manibus est.* Quæ si Labbæi ætate vere ab ipso dici potuerint, saltem minus verè ab HARDUINO & COLETO nostra ætate repetuntur, cum vel in præstantissimarum Bibliothecarum catalogis hæc Collectio desideretur: Est autem hæc *Actorum Gallicanorum Concilii-Tridentini* collectio, uti ipse titulus habet, *quarta:* Primus qui ea colligere cœperat, erat JACOBUS GILLOTUS A. 1607. 8. sub tit. *Missives du Concile de Trente:* vid. *Gillot.* Hanc editionem quam & ipse servo, *J. A. Fabricium* habuisse refert *Schelhornius* l. c. p. 428. Altera editio prodiit A. 1608. 8. cujus in catalogo Bibliothecæ *Bodlejanæ* T. II. f. 210. & *Heinsianæ* T. II. p. 233. fit mentio Tertia prodiit A. 1613. 4. sub tit. *Instructions & Missives des Rois Tres-Chrestiens* &c. quam itidem ad manus se habere *Schelhornius* profitetur: Et quarta demum hæc est, quæ itidem meam exornat Bibliothecam, curata per M. D. i. e.

per

par *Messieurs* DU PUY teste *Colomesio* in Bibl. Chois. p. 153. Quanquam *Petrum Puteanum* verum Collectorem & *Jacobum* Editorem fuisse, cum *Petrus* jam sub finem anni 1651. sit defunctus, probabile fiat:

Haud verò ullus facile liber magis inservit, (bene notante SCHELHORNIO l. c. p. 432.) ad fidem PAULI SARPII Romanensibus tantopere invisi, vindicandam, atque ad Papæ ejusque Legatorum Tridentinæ Synodo præsidentium, iniquam, violentam & vaferrimam agendi rationem detegendam, quam hæc insignissima Collectio, vel sola, si nulla alia extarent monumenta, concilii auctoritati maxime elevandæ, thronoque deturbandæ idonea.

Ut non abs re, nec lectoribus ingratum esse futurum arbitrer, si brevem hic *Monumentorum* inibi reperiundorum atque ex *Archivo Regis Galliarum* editorum exhibeam *conspectum*, eadem illâ, qua exhibentur, linguâ Gallicâ.

SOUS LE ROY FRANCOIS I.

* BREF du Pape Clement VII. au Roy Francois I. sur le faict de l'indiction d'un Concile general, du 2. Janvier 1533. page 3.

Sous le Roy Henry II.

Let-

SOUS LE ROY FRANCOIS II.

Sous le Roy Charles IX.

Ex-

Let-

Ora-

Let-

Ex-

Let-

Ex-

JORIS (*David*) de ejus vita sub nomine *Blesdykii & Georgii* jam mentio est facta. Extat vero etiam Lingua Germanica de *Ejusdem* vita narratio, itidem rarissima, teste

teste JAC. THOMASIO in *Historia sapientiæ & stultitiæ*, ling. Germ. P. I. p. 63. seqq. sub hoc titulo: *Historia von David Georgen einen heillosen mann und Gottes-lasterlichen Ertz-Ketzer, aus Augusto Thuano, Jobo Fincelio, Adamo Henric. Petri, Johanne Wigando und Luca Osiandro Zusammen gezogen, mit angefugten notis und erinnerungen durch M. Jac. Stolterfoht*, v. d. M. *in Lubeck.* Anno 1635. 4.

Est autem primarius ex quo perversa hujus hominis dogmata cognoscuntur, ejus liber, cui tit. *Wonderboek*, quem itidem librum, quod is publica auctoritate Basileensis magistratus combustus est, parum esse obvium, (quanquam sæpius adhuc in Belgio, quam in Germania) notum est: Mei exemplaris titulus hic est. *'T wonderboeck: waer in dat van der waerldt aen verslotcn gheopenbaert is:* Et deinceps titulo hæc leguntur inscripta: *Wie een der Ick (Segt de Heere) senden sal, ontfanght in mynen Naem, die ontfanght my, wie my ontfanght, ontfanght den die my gezonden heeft.* item: *Hooc-gelovet moet hy zyn, die als een Ambassatoer ghesonden komt, in den name des Heeren.* In't Jaar 1551. fol.

Quantas hic homo in his regionibus turbas suscitaverit nemini est ignotum, uti

Johannes à Lasco, aliique ſtrenue ipſi iverunt obviam: Eſt vero, memorabile illud, ambitionis Georgianæ, ſpiritum atque revelationem internam crepantis, ſed & abominabile effatum, quando his verbis ſuam cum Jo. à Laſco inſtitutam claudit controverſiam: *Non eſt autem mihi neceſſe, ut verbum aut doctrinam mihi revelatam, quam in* SPIRITU & VERITATE *efficaciter ſuper omnes ſenſus cordis, vidi, odoratus ſum, guſtavi, palpavi, ac ſenſi, conformem aliquibus Pauli verbis, quandoquidem voluntas Dei jam non eſt, ut quisquam propter ulla ſcripturæ verba ſcripta credat, ſiquidem ipſe vir adeſt, propterea puerilia illa omnia ſunt abjicienda, & corde ſolum credendum eſt unico veroque Deo & Chriſto ejus, ſive verbo æternæ* JUSTITIÆ & CHARITATIS. AMEN. HALLELUJA.

Quisquamne eſt, cui hæc legendo, non incidant ea, quæ hiſce temporibus, a novis noſtris hæreſium priſcarum incruſtatoribus, itidem ex alto veluti proferuntur eloquia, dum præ Scripturis ſua extollunt phantaſmata, ſuoſque pios, quos appellant, motus, eamque eſſe jactitant Sapientiam in abſcondito, non quæ conformis ſit ſcripturis, ſed quæ ſibi per ipſum Deum in occulto

ſit

ſit revelata, & cui cœcam præſtare quivis teneatur obedientiam;

JOSCELINI (*Johannis*) *Antiquitates Brittannicæ.* fol. inter rariſſimos connumerantur libros. vid. titul. PARKERI.

J. JUNIANI Maji Vocabularium, de proprietate priſcorum verborum 1490. fol. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 43. n. 450.

JUNII (*Hadriani*) *Cornu copiæ* Baſil. 1558. fol. inter libros præſtantiſſimos pariter atque rariſſimos connumeratur: In quo ſelectas ex *Euſtathio in Homerum* expoſitiones Græce excerpſit Vir doctiſſimus & cum iis Homerum recudendum dedit, ſub tit. Κερας Αμαλθειας, ἢ Ωκεανος των ἐξηγησεων ΟΜΗΡΙΚΩΝ ἐκ των τȣ Ευϛαθειȣ παρεκβολων συνηρμοσμενων. *Copiæ Cornu, ſive Oceanus enarrationum Homericarum ex Euſtathii in eundem commentariis concinnatarum Hadriano Junio autore. Baſil. ap. Hier. Frobenium & Nicolaum Epiſcopium* 1558. fol. cum *Indice vocum Græcarum* peregregio, ut ad uniuscujusque eorum qui Græca amant, uſum hic Commentarius Euſtathii, ceteroquin, propterea quod varia a ſcopo aliena immiſcuerat, diffuſus nimis atque lectu difficilis, jam ſit comparatus. Eſt HADRIANI JUNII ad Lecto-

rem

rem nota quæ in verſa tituli pagina legitur, φιλελλησι forte non injucunda: „ Utitur Euſtathius ſæpiſſime auctorum teſtimonio, quos nominatim non „ citat, ſed ab argumento, quod trac- „ tant circumſcribit, inter quæ faci- „ liora ſunt Ο Δειπνοσοφιστης, Athenæus „ nimirum, Ο Γεωγραφος Strabo: Ο Περιη- „ γητης Dionyſius Afer, qui de ſitu or- „ bis carmine ſcripſit: Ο Εθνικογραφος, „ ſive Εθνογραφος Stephanus, qui de ur- „ bibus commentarium inſcripſit. Ob- „ ſcuriora paulo & abſtruſiora: Ο Ποιη- „ σας τα Διονυσιακα, quo ſignificatur „ Nonnus Panopolitanus, cujus octo „ & quadraginta libri Dionyſiacon ti- „ tulo Græce extant. Αλεξανδρευς ρητωρ ο „ τα ερωτικα παιξας quo deſignat Achil- „ lem Statium Alexandrinum, qui „ octo libris luſit de Clitophontis & „ Leucippes amoribus. Ο παραβατης, qui „ eſt Julianus Cæſar, Apoſtatæ nomine „ notior. Ο των σ̂ιασεων εξηγητης, quem „ Hermogenem rhetorem intelligo. Ο „ τεχνικος, Herodianum Grammaticum „ denotat, ut Ο τεχνικος γεωργιος Chœ- „ roboſcum. „

JUNII (*Stephani Bruti*) *Vindiciæ contra Tyrannos.* vid. LANGUET.

KERS-

KERSSENBROEK (*Hermanni*) *Belli Monaſterienſis contra Anabaptiſtica monſtra geſti, brevis atque ſuccincta deſcriptio, nunc primum & impreſſa & ædita Auctore* HERMANNO KERSSENBROEK, Coloniæ Martinus Gymnicus excudebat Anno 1545. 8. In libri, qui totus carmine heroico confectus eſt titulo, hi ad Lectorem leguntur verſus BERNARDI LINGII.

Si juvat horrendos caſus pernoſcere lector,
Hæreticæ, ut noceant dira venena luis.
Hunc legito librum, qui quicquid continet autor,
Ipſe ſuis oculis vidit & edidicit.
Non huic bullatis turgeſcit pagina nugis,
Sed meliore fide geſta referre ſtudet.
Si mihi non credas, ad finem perlege libros
Diſperеam, ſi non ipſe loqueris idem.

Ipſum autem libellum propter inſignem ejus raritatem inſertum Corpori Scriptorum rerum Germanicarum, á V. Celeb. JOH. BURCH MENCKENIO edito, videmus Tom. III.

KHEVENHULLERI *Annales Ferdinandei* ob ſummam exemplorum paucitatem, ab eruditis maxime deſiderantur, & difficillime omnium reperiuntur. Quæ raritas unde proveniat á Cl. GROS-

CHU-

CHUFIO in Præfat. ad Novam librorum rariorum collectionem pag. 21. exponitur his verbis: *Is liber, olim cum imprimeretur, aliquem, ferunt, adsedisse cotidie operarum tabernis, & ne quid plagularum vel furto subduceretur, aut complura, quam in mandatis erat, exempla transcriberentur, sedulo circumspexit: quibus absolutis Viennam ad unum omnia translata nec nisi potentioribus, qui in aula regum & principum versantur, esse distributa: illas præterea schedas, in Officina residuas & forte jam proculcatas, & lituris nimium deformes, in quibus correctoris, ut vocant, virgula censoria adparebat, immani ajunt pretio fuisse coëmtas.*

LALEMANDETI (*Johannis*) *Decisiones philosophicæ* Monachii 1645. fol. Eas, quippe rariores se reperire nequidem apud Pontificios, quanquam etiam Monachii sint impressæ, potuisse, testatur Jac. BRUCKERUS Vir Cl. in Ep. ad Crosium v. Thes. Epist. T.I. p. 70. conf. Bruck. Hist. Crit. Phil. T.IV. P.I. p. 129.

LAMBERTI (*Francisci*) Avenionensis, Scripta omnia uti sunt rarissima, ita singularem debemus Cel. SCHELHORNIO gratiam, quod is Vitæ ejus & scri-

& scriptorum in *Amœnitat Literar.* T. IV. p. 374. seq. nobis tradere voluerit notitiam: Prouti & in *Miscellaneis Duisburgensibus* Tomo II. pag. 555. sq. eadem enumeravimus. Eminent inter ea.

Ejus in *Apocalypsin* Libri VII. 1528. 8. Quos ex Bibliotheca Hasæana mihi comparavi. Ex hisce luculentum nobis suppeditatur excerptum in Bibliotheca Antiqua B. G. Struvii. A. 1705. pag. 459-477.

Ejus in *Lucam* Commentarius. Argentor. 1525. 8. In cujus fine, quod observare in ejus vita neglexit SCHELHORNIUS, is profitetur se quoque in *Acta Apostolorum* moliri tractationem: Quando, *in Evangelii*, ait, *divi Lucæ parte secunda, nempe in Actorum libro, hæc latius patebunt, ubi quæ pertinent ad Domini adscensionem, & eam benedictionem qua Apostolis benedixit, quantum, opus fuerit tractabimus, dirigente ipso Spiritu Sancto, cui cum Patre & unigenito Filio ejus sit honor &c.* Enimvero conqueritur doct. LOESCHERUS in Histor. motuum P. III. p. 123. de mala Argentinensium Reformatorum doctrinæ assentientium fide in recudendo hoc commentario, qui sententiam ejus ad locum Luc. XXII: 19. 20. in editione Noribergensi 1524. orthodoxe, id est ex

Lu-

Lutheri mente explicatam, in hac Argentinensi inverterint, eumque ex Zwinglii ſententia verba facere effinxerint. Sed, quis non ipſum Lambertum, qui eo ipſo tempore Argentorati poſteaquam Witeberga relicta, Metis fuerat expulſus, verſabatur, meliora edoctum, ipſam illam variationem procurare potuiſſe, potius affirmaverit? cum ſatis evictum ſit, quam is per aliquod tempus, modo huic, modo illi ſententiæ fuerit adſtipulatus, uſquedum in ipſo *colloquio Marburgenſi* 1529. cui tanquam auditor intererat, pleniſſime in Reformatorum noſtrorum ſententiam ſecederet, qua de re notabilia nuper in Præfat. ad Tomum II. *Hiſtoriæ Reformationis* adduximus verba, quæ omnem de fide Lamberti dubitandi præſcindunt anſam. Neque etiam vel ipſa illa *Paradoxa* quæ in Synodo *Homburgenſi* 1526. ab ipſo & propoſita ſunt & defenſa, quæque Miſcellaneis Duisburgenſibus l. c. p. 562. ſeqq. ſunt inſerta, ullius *corporalis præſentiæ*, aut quod *corpus Chriſti in Sacramento* ſit *cum pane atque vino*, mentionem faciunt, cum ibi Tit. VIII. n. 6. *Euchariſtia*, legatur *eſt gratiarum actio, ac memoria omnium quæ Chriſtus in carne pro nobis fecit* & n. 7. *In eo viſibiles ſubſtantiæ, ejus qui inviſibiliter adeſt, ſigna ſunt* &c. Mi-

Mirum vero eſt præterea, quod pro LAMBERTO noſtro ſibi vindicando, adeo decertent hodierni *Lutheranorum* Doctores, quos tamen probe novimus ab ejus, circa *decreta Dei* circa *prædeſtinationem* & *reprobationem*, circa *gratiam particularem* & ſimilia fidei capita, placitis, quæ ad Luc. Cap. XIX. & Cap. XI. itemque ad Cap. II. protulit, prorſus recedere, imo, quos probe novimus, ejus doctrinæ, a) *de Arbitrio hominis* in ſolo

M Chri-

a) Quotus quisque hodiernorum *Lutheranorum* illis ex animi ſententia ſubſcriberet theſibus, quibus is totam cauſæ illius disceptationem uberius expoſitam in brevem contrahit ſummam, in illo quem diximus ad *Hoſeam* commentario!

1. Igitur primo ſentimus, quod arbitrium hominis ſit vere captivum & ſervum, ac nihil omnino ex ſe poſſit, in his quæ ſunt ad vitam æternam.
2. Ipſum autem arbitrium eſt actus, intellectus ſimul & voluntatis.
3. Quod a ſeipſo captivum eſt, ſpiritus fornicationum, id eſt, ſenſus naturalis ac peccati ſive concupiſcentiæ, quandoquidem ipſe ſpiritus fallax in corde regnat.
4. Et tum non poteſt verbo domini parere, niſi in hypocriſi & mendacio.
5. Nam ſermones veritatis illi placere nequeunt, & non poteſt non contradicere & adverſari eisdem. 6. Ad-

Christo vere libero, in se autem multis nominibus *maxime servo*, quam in commentario *ad Hoseam* luculenter & egregie adstruxit, inimicos esse maximos:

Enim-

6. Adveniente Dei Spiritu, & fide, liber fit homo ab ipso fornicario Spiritu, a quo nulla arte, nulla prudentia, nullove consilio, alioqui liberaretur.
7. Tum regnat ipse Spiritus Dei in corde credentis, spiritum fornicationum indies subjiciens, captivans, & crucifigens.
8. Tum quoque aget intellectum hominis, alioqui dei verique ignarum, faciens ut agnoscat Deum & veritatem ejus.
9. Agit & voluntatem, alioqui captivam ut velit quæ Deus vult, & acquiescat suavissimis sermonibus ejus.
10. Vult tum homo idem quod Deus, non propria sed ipsius Dei virtute.
11. Et liber fit ab omnibus traditionibus & figmentis hominum ut totum se captivet in obsequium Dei & veritatis ejus.
12. Sicque liber fit a captivitate perditionis, & transit in captivitatem simul atque libertatem filiorum Dei.
13. Tum liberrime & fidelissime servit; currit, & non laborat; Dei spiritu hanc promptitudinem faciente.
14. Omnia præcepta, comminationes, promissiones, increpationes, & laudes sanctorum, ac maledictiones impiorum, ostendunt quam Deus amet Spiritum Sanctum, spiritum vero fornicationum dirigat.

15. Vo-

Enimvero sunt & ipsi hi in *Hoseam*, *Joëlem*, *Amosum*, *Obadiam*, *Jonam*, *Micham*, *Nahumum*, *Habacucum* &c.

M 2 por-

15. Voluntas credentis, agit cum agente spiritu, non sua, sed ipsius spiritus virtute.
16. Deus indurat, excitat & excœcat, & quemcunque sic adjudicavit, non potest non errare a viis ejus.
17. Verum non proinde concludo quod Deus injustus sit, aut operetur impietatem.
18. Hic caligat omnis sensus, & maximo hæreseos periculo, nonnulli hæc scrutari volunt.
19. Statuas vel jugules arbitrium liberum, quæstio de misericordia & justitia Dei insolubilis manebit. Nimirum abyssus est impenetrabilis.
20. Neque Deus indiget mendaciis nostris, ut putet quispiam sibi licitum esse, fingere arbitrii libertatem contra apertissimos scripturæ textus, ut quæstionem de justitia Dei perfectius capiat, quod tamen nunquam est assecuturus.
21. Statuentes liberum arbitrium, legis scopo contradicunt, adserentes quod homo possit flectere seipsum, ut eam servet, aut ad id a seipso conari, cum nihil omnino minus possit.
22. Legis scopus est Spiritus, quod tota lex spiritualis sit, ideoque solo Dei spiritu scrutari possit.
23. Itidem adsertores, quod solius Dei Spiritus est, nempe velle bonum, tribuunt car-

porrò in *Canticum Canticorum*, commentarii, partim Norimbergæ, partim Ar-

carni & sanguini, quæ non potest non fornicari a domino, semperque ab illo fornicatur.

24. Qui vero, ut a Dei testimoniis erudiuntur, dicunt arbitrium hominis captivum esse, & nihil minus posse, quam a se legem Dei servare, recte sentiunt, quod ipsius legis scopo minime contradicant.

25. Hi tribuunt homini quod est in veritate, nempe, quod sit captivus peccati, id est, concupiscentiæ, nisi liber fiat a Domino.

26. Tribuunt itidem Spiritui Sancto, quod suum est, nempe cogitare, velle, & perficere bonum. Sicque non homini sed Deo, omnem virtutem & gloriam tribuunt.

27. Statuens liberum arbitrium, statuit & merita, ac justitiam operum.

28. Statuens autem merita, & justitiam operum, calcat merita Christi, & justitiam Dei quam per eum solum assequemur.

29. Enimvero non nostra opera, atque justitiæ pollutissimæ sed Christus meruit nobis in se credentibus, gratiam Dei, atque justitiam æternam.

30. Contra statuens captivum arbitrium, non nisi Christi merita, Deique justitiam per eum statuit, & nostrorum operum spurcam justitiam calcat.

31. Non dico, quod nolit bene operari, maxime cum sit opus, ut fidelis quisque ocia vitet, & fidem operibus testetur. Nul-

Argentorati impressi, inter rariora ejus temporis monumenta referendi, ut,

 quod

Nullibi enim ociosa est vera fides, & operibus seipsam pandit, Fidei namque testimonia, bona opera sunt.

32. Sed dico, quod ipsis operibus suis fidelis neutiquam fidit, neque sibi proinde aliquid tribuit

33. Statuens liberum arbitrium, non potest simpliciter verbum Dei capere, quod verbum Dei & lib. arbitr. non conveniant.

34. Contra, statuens captivum arbitrium, facile perveniet ad veritatis intelligentiam, quod non sentiat aliena a verbo Dei.

35. Nemo potest asserere in spiritu sancto, quod arbitrium hominis liberum sit, etiam si aliunde spiritum habeat.

36. Nemo potest syncero corde sentire, quod ipsum arbitrium sit captivum, nisi in spiritu sancto. Non loquor de his, qui magis ob curiositatem, quam ob pietatis amorem, id dicunt, rem ipsam non capientes.

37. Nam qui asserit ipsum arbitrium esse liberum, tantum subtrahit misricordiæ Dei & gratiæ Christi, quantum tribuit viribus hominis, quod esse non potest a Spiritu Sancto.

38. Qui vero dicit eum captivum, nihil viribus hominis, sed totum misericordiæ Dei, & gratiæ, quam per Christum, in eum credentes assequimur. Sicque; Dominum Jesum Christum vere confitetur, ei tribuens justificationem & salutem.

Quod

quod iis inſtructa ſit ſupellex noſtra libraria, nobis gratulemur.

LANGUETI (*Huberti*) *Vindiciæ contra Tyrannos:* Eſt liber, ſine genuino Auctoris nomine qui prodiit, ſub titulo. *Vindiciæ contra Tyrannos, ſive, de Principis in Populum, populique in Principem legitima poteſtate.* STEPHANO JUNIO *Bruto Celta, Auctore* MDLXXXIX. 8. In adverſa tituli pagina hoc legitur Epigramma.

L. Scribonius Spinter, Belga, Lectori.

Contemptor Superum Maculoſi *nomine notus.*
Velleris, *a*) *Etruscus ſcurra, Sophiſta loquax,*
Arte mala, Populi Harpyias ſævosque Tyrannos

Inſti-

Quod facere non poteſt, niſi in ſpiritu ſancto.

39. Summa, aſſertio liberi arbitrii, eſt origo, radix, & fundamentum, omnium ſectarum, impietatum, hypocriſis, & abominationum ſynagogæ Antichriſti.

40. Aſſertio vero captivi arbitrii, ac virtutis, juſtitiæ, & gratiæ, per ſolum Chriſtum, eſt fons, radix, & fundamentum, omnis doctrinæ pietatis.

Potuitne quid magis ipſius *Lutheri* doctrinæ conſonum, *Lutheranorum* verò hodiernorum ſcitis diſſonum proferri?

a) *Machiavellum* digito notari, indubium eſt.

Instituit, Pestis maxima Christiadum.
Junius *hoc Reges veros, Proceresque libello*
Efformat, Populos & sua jura docet.
Nempe Caput magno civili in corpore Reges,
Corporis & populum cætera Membra, facit.
Membra sed ut languent, capiti adversantia:
Sanum, [illegible]
Tusce, erit, anne caput, quod sua membra premit?
Sint igitur Reges Populis re, ut fœdere, Leges
Nomine reque Patres Justitiæque duces.
Totus ad exemplum Regis componitur Orbis,
Rex quoque sic populi se sciat esse caput.
Hunc veteri Reges referant de more triumphum,
Quod Patriæ Patres, quod Populo Socii.

Quantum de hujus Libri Auctore vero indagando suscitatum fuerit pulveris, inter eruditos constat, uti integra P. BÆLII exstat Dissertatio de *hujus Libelli Auctore* subjuncta ejus Dictionarii volumini quarto fol. 569-578. Sunt qui Illustrem virum PHIL. MORNÆUM Dominum de Plessis, ejus auctorem crediderunt; Sunt qui FRANCISCUM HOTOMANNUM, Jure consultum Celeberrimum in hanc causam transcripserunt. Uti nec desunt, qui ISAACUM CASAUBONUM in hunc censum vocarunt. Alii THEODORUM BEZAM sub Stephani Junii Bruti nomine latitare, asseruerunt. Quid? quod non defuerint,

qui hunc libellum confictum esse perhibuerint, ab aliquo forte *Pontificio* in odium Reformatorum, ut suspicabatur Rex Angliæ *Jacobus I.* Operum Regiorum pag. 478. dicens de Santarello. *Quem nobis objicit, Junius Brutus author est ignotus, & forte Romanensis Ecclesiæ emissarius, ut per illum Reformatæ religioni conflarent invidiam.* Sed &, *Acta Eruditorum* Lipsiensia A. 1684. p. 22. &, referente *Placcio* de Scriptoribus Pseudonymis Tom II. p. 145. *Mich. Piccartus*, GEORGIO BUCHANANO tribuunt, falso utrique, eo, ut videtur, decepti, quod Buchananus idem argumentum in suo *de Regno* dialogo, eodem fere loco ac tempore primum vulgato, nimirum Edimburgi, ubi 1579. 8. omnium primo hic liber impressus creditur, pertractarit, uti in Præfat. ad novissimam Buchanani Operum editionem notatur.

Quam ipsi habemus hujus libri editionem, ea absque ulla loci mentione, eum quem modo recensebamus, habet titulum, atque Præfationem *Cononis Superantii, Vasconis a)* Soloduro Kalend. Januar. MDLXXVII. datam, estque ei Tractatus de *Jure Magistratuum in subditos*

a) Sub hoc nomine *Mornæum* latere notatur a *Placcio* l. c. 7. Tom. II. 601.

ditos &c. ſubjunctus. Uterque liber paginas habet 331. cui Index Quæſtionum & objectionum eſt adjectus. Neque vero dubitamus, quin HUBERTUS LANGUETUS Vir longe doctiſſimus & *Phil. Mornæi a)* amicus intimus, genuinus hujus Libri ſit auctor, fidemque nobis hujus ſententiæ facit THEODORI TRONCHINI Genevenſis quondam Profeſſoris Theologi Oratio in obitum SIMONIS GOU-

a) Quanti *Languetum* A. 1581. defunctum fecerit Mornæus vel ex hiſce liquet verbis, quæ is epitaphii loco in præfatione prima libri de Veritate Relig. Chriſtianæ, (cujus auctor ſuaſorque potiſſimum Mornæo extiterat Languetus,) Præfationi præmiſſa, poſterorum memoriæ commendavit: *Certavit in hoc viro cum pietate doctrina, cum conſcientia ſcientia, cum natura ars, cum diſciplina rerum uſus: nemini mundus melius cognitus: ex mundi perluſtratione unum didicerat, mundi contemtum, nemini etiam mores hominum magis pervii: in tam multiplici interim cognitione tantam morum ſimplicitatem nemo non mirabatur in pluribus: is fuit Languetus, quales plerique videri volunt: is vixit, quales optimi mori cupiunt: & porro vitam optime actam, mors optima, mors placidiſſima, mors in Chriſto beatiſſima & beatiſſimæ vitæ proxima laude & gloria coronavit.*

LARTII, & quod in urbe Lausannensi visæ fuerint pagellæ hujus libri manu ipsius Langueti conscriptæ, docente Boëclero ad Grot. de J. B. & P. c. 4. §. 6. qui & stylum cum stylo Langueti congruere notat. Sunt vero nobis instar omnium verba Viri Illustris, AGRIPPÆ d'AUBIGNE, qui in Histor. Univers. T. II. Lib. II. c. II. pag. 670. quanquam anachronismum quendam videatur commisisse, quod ad Annum 1573. hujus Libri Epocham fixerit; ita infit: „ Il paroissoit un „ autre livre, qui s' appelloit *Junius* „ *Brutus*, ou defense contre les tyrans, „ advoué par un des doctes Gentils „ hommes du Royaume, renommé „ pour plusieurs excellents livres: & „ vivant encore aujourdhui avec autho„ rite, traitant ses questions des bor„ nes de l' obeisfance qu' on doibt aux „ Rois: en quel cas il est permis de „ prendre les armes contr' eux: par „ qui telles choses se doivent entre„ prendre: si les voisins peuvent ju„ stement donner secours aux peuples: „ en quel cas & comment toutes cho„ ses s' y doivent conduire, tout cela „ traicte en grand Jurisconsulte & „ grand Theologien. Depuis on a scu „ qui en estoit le vrai autheur? scavoir „ HU-

„ HUBERT LANGVET. „ Quidquid sit, hunc ipsum Librum in Anglia, auctoritate Academiæ Cantabrigiensis publice flammis fuisse traditum, discimus ex O. R. DOUBLETII literis ad G. J. VOSSIUM Londino 1622. datis. vid. Epist. Vossii á Colomesio editas Tom. II. pag. 34. Και ταυτα μεν δη ταυτα

LASCO (*Johannis à*) Prænobilis illius Baronis Poloniæ, atque Ecclesiarum Frisiæ Orientalis, cumprimis vero Emdanæ, per aliquot annos. Superattendentis eximii, cui tam multa debet Frisia Orientalis, Anglia, Polonia, & Ecclesia Francofurtensis Evangelico-Reformata, Scripta omnia, cum sint rarissima, seseque cum maxime plurimorum usui subduxerint, tum tribus saltem verbis eadem juvat juxta ordinem temporis quantum fieri poterit, enumerare.

1. *Confessio de nostra cum Christo communione, & corporis item sui in cœna exhibitione*, ad ministros Ecclesiarum Frisiæ Orientalis, teste *Adamo* in Vit. Lasci fol. 12.
2. Epistolæ ad Bremensis Ecclesiæ Ministros, teste ADAMO in Vita Lasci. fol. 12.
3. *Defensio* veræ semperque in Ecclesia recep-

receptæ *doctrinæ de Christi Domini incarnatione*, adversus *Mennonem Simonis*, Anabaptistarum doctorem: per *Joh. à Lasco* Poloniæ Baronem, Ministrum Ecclesiarum Frisiæ Orientalis. Bonnæ 1545. 8. Hunc librum *Bibliotheca* asservat *Embdana.*

4. Epistola continens *summam controversiæ de S. Cœna* breviter explicatam, teste *Adamo* l. c. in vita Lasci.

5. *Henrici Bullingeri* Absoluta de Christi Domini & Catholicæ ejus Ecclesiæ Sacramentis Tractatio, *à Joh. à. Lasco* Londini 1551. est edita, teste *Hospiniano* in Hist. Sacram T. II. fol. 199.

6. Brevis & dilucida *de Sacramentis Ecclesiæ Christi* Tractatio, in qua & fons ipse & ratio, totius *Sacramentariæ* nostri temporis *controversiæ* paucis exponitur, naturaque ac vis Sacramentorum compendio & perspicue explicatur, *per Johannem á Lasco* Baronem Poloniæ, Superintendentem Ecclesiæ peregrinorum Londini. Ephes. IV: 1-3. Londini per Stephanum Meyerdmannum An. 1552. 8.

7. *Consensio mutua in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinæ Ecclesiæ, & D. Joh. Calvini* Ministri Genevensis Ecclesiæ, jam nunc ab ipsis Actoribus edita ib. 8.

8. *Ca-*

8. *Catechismus Major.* Londini 1551. editus de quo EMMIUS Lib. LX. p. 948. Lingua Belgica eum 1553. edidit *Johannes Utenhovius.*

9. *Confessio de Cœna Domini.* in qua explicat genuinam sententiam verborum Christi, *Accipite*, *Comedite*, *Hoc est corpus meum* 1552. Londini, teste *Hospiniano* Histor. Sacram. T. II. p. 2.

10. Ad *Christiernum Serenissimum Daniæ Regem Admonitio data* Æmdæ d. XI. Decemb. 1553. quæ subjuncta est *Simplici & fideli narrationi de Ecclesia peregrinorum in Anglia &c.* Basil. 1560. 8. á *Johanne Utenhovio* conscriptæ.

11. *Catechismus minor* sive brevis in usum Ecclesiæ Emdanæ cumprimis à *Jo. à Lasco* M. *Micronio* & collegis ejus. A. 1554. conscriptus est, uti ipse de eodem *ad Hardenbergium* scribit. A. 1554. vid. *Biblioth. Bremens.* Cl. VI. p. 160.

12. *Forma ac ratio tota Ecclesiastici Ministerii* in peregrinorum, potissimum vero Germanorum, Ecclesia *instituta Londini in Anglia* per pientissimum Principem Angliæ &c. Regem *Eduardum* VI. Anno 1550. addito ad calcem libelli, Privilegio suæ Majestatis. 1555. 8.

13. *Brevis Calumniarum quarundum refutatio quæ falso adversus ipsum in Martiniani*

niani cujusdam apud Bremenses Pastoris farragine inspersa habentur : Est hæc Epistola Nuncupatoria ad Sigismundum Poloniæ Regem ejus Senatum & omnes Regni Ordines directa & *præmissa superiori tractatui*, data Francof. sexta die Septembris Anno 1555. p. 8.

14. Epistolæ tres lectu dignissimæ *de recta & legitima Ecclesiarum bene instituendarum ratione ac modo.* ad Potentissimum Regem Poloniæ, Senatum, reliquosque ordines, *D. Johanne à Lasco*, Barone Poloniæ &c. autore. Basileæ per *Johannem oporinum* 1556. 8. sunt vero hæ omnes Francofurto datæ d. ult. decemb. 1555.

15. *Consideratio an Reformato interesse liceat Missæ Papisticæ.* Neustad. 1608. 8. Quem libellum in linguam Germanicam transfusum Bibliotheca asservat Groning Omlandica publica.

16. *Purgatio Ecclesiæ peregrinorum Francofurtensis.* 1557. 8.

17. *Responsio ad virulentam calumniisque ac mendaciis consarcinatam hominis furiosi Joachimi Westphali Epistolam quandam, qua Purgationem Ecclesiarum Peregrinarum Francofurti convellere conatur per Johannem à Lasco*, ipsius illius purgationis auctorem, sic ut paragraphi paragraphis è regione respondeant quo ma-

magis faciliusque appareat, utrinam causam æquiorem habeant in hac controversia de Augustana Confessione Basil. 1560. 8. ex offic. Joh. Oporini.

Ne reliquas ejus commemoremus *Epistolas à* variis editas, in collectione à doctiss. *Gabbema* procurata, in *Bibliotheca Bremensi*, & in Appendice ad *Rev. Meiners Historiam Reformationis Oostfrisicæ* quas omnes, & si quæ sunt aliæ, vel editæ vel ineditæ, conjunctim typis mandare, e re literaria cumprimis foret.

LATINII (*Latini*) Viterbiensis Oratio de Socratis & Sozomeni Historiæ parte, ad Nectarium. Romæ. 1587. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 154.

LATITUDINARIUS Orthodoxus. Cum tanta sit, agnoscente Cl. VOGTIO hujus libelli Raritas; hine titulum integrum, ut de ejus argumentô magis constet, apponam: „Latitudinarius orthodoxus, in genere de Fide in „Religione Naturali, Mosaicâ & Christianâ, in particulari, de Christianæ „Religionis Mysteriis, S. Trinitate, „Christi Incarnatione, Corporis Resurrectione, Cœnâ dominicâ. Accesserunt „vindiciæ libertatis Christianæ Ecclesiæ „Anglicanæ, & Arthury Bury S. T. P. „contra ineptias & calumnias P. Jurieu. „Londini 1697. in 8.„ De

De Sectâ Latitudinanorum accuratè egit Cl. Spanhemius in Elencho Controversiarum. Omnium autem optime ex allatò libello cognosci posest. Vindicias calci annexas quod attinet, illæ mordacissimô stilo sunt conscriptæ, sic ex gr. P. Jurieu ibi vocatur S. T. & *malignitatis Diabolicæ Professor.* M. H.

LAUNÆI (*Petri*) *Paraphrase & Exposition sur les Epistres St. Paul. &c* par *Pierre de Launay.* Premiere, & seconde partie. se vend à Charenton, par Louis Vendosme &c. MDCL. 4. Hoc opus uti longe est rarissimum, ita quoque præstantissimum. Uti reliqua Viri scripta non minus sunt egregia; Est vero notabilis STEPHANI GAUSSENII Viri doctissimi, Salmuriensis Theologi, egregii studiorum & ingeniorum æstimatoris, laus, quam is nostro huic tribuit *Launæo*, in aurea dissertatione de studii Theologici ratione p. m. 32. *Hujus viri* (Launæi) *felicitatem soleo ego admirari, nam otio aliisque præsidiis abundabat, sine quibus literati haud facile emergunt, & luculenta Bibliotheca instructus erat; valetudinis vero adeo firmæ ut annum nonum super octogesimum expleverit, & quod rei caput est, qui eam viam instituisset, quæ tutissima est & compendiosissima. Atque ea est causa,*

cur

cur PETRUM LAUNÆUM *inter optimos Scripturarum interpretes numeremus.*
Edidit idem P. LAUNÆUS, sub tecto nomine *Jonæ le Buy* quoque in Apocalypsin commentarios ita inscriptos, *Paraphrase & Exposition sur l' Apocalypse tirée des Sainctes Ecritures, & de l' histoire par Jonas le Buy Sr. de la Perie* Genev. MDCLI. 4. vid. le BUY.

LESCARBOTI (*Marci*) Liber ad Franciæ Helvetiæque Historiam spectans, est rarior, teste Doctiss. LIEBIO, in Commentatione, de Nummo Ludovici XII. &c. p. 21. in not. (t) Est autem hic ejus titulus: *Le Tableau de la Suisse & autres alliéz de la France es hautes Allemagnes, auquels sont descrites les singularitez des Alpes, & raportés les diverses alliances des Suisses, particulierement celles, qu' ils ont avec la France, par MARC LESCARBOT* Advocat *en Parlement.* Paris 1618.

LHUYD (*Humfredi*) de Mona, Druidum Insula Epistola 1568. 4. Lib. rar. in Bibl. Albini p. 83.

LINDANI (*Gulielmi*) Scripta singula esse rariora testatur Doct. SCHELHORNIUS Amœnit. Literar. Tom. XI. p. 64. Uti de ejus *Concordia discorde*, singulari schediasmate differit Doct. FEUERLINUS Theol. Gottinganus

 in

in *Miscell. Gron.* T. IV. fasc. II. p. 223. & sq. Scripsit verò etiam *Dubitantium*, & quam plurima alia, à SWEERTIO & aliis enarrata.

LITTLETONI Jus Anglicum vetustissimum, editum per *Eduardum* COKE Lond. 1628. fol. Est liber inventu rarissimus.

LONGOBARDI (*Nicolai*) Traité sur quelques points de la religion des Chinois par le Pere *Nicolas Longobardi*, ancien superieur de la compagnie de Jesus à la Chine à Paris 1701. 12. Constat libellus centum paginis. Continet Sectiones XVII. Postrema verba hæc sunt: „ Je vais faire mes reflexions „ dans la section suivante. „ Editor autem, *cette section*, inquit *manque. Elle eut eté d' une grande utilité*, *mais ce traité tout imparfait qu' il est*, *ne laisse pas d' etre suffisant pour ceux qui entendent la matiere.* Est verò editor Episcopus Sabulensis (*de Sabule*) vicarius Apostolicus, qui Gallice vertit ex Hispanico hunc librum. vid. Thes. Epist. *la Croz.* T. I. p. 221. 222.

LOTZERI (*Sebastiani*) *Apologia pro Memmingensi* civitate & ejus Pastore scripta, tam rarò hodie est obvia, ut libellis deperditis propemodum accenseri queat. vid. de ea SCHELHORN.

in

in Hiſtor. Reform. Memmingenſis pag. 86. 87.

LUBINI (*Eilhardi*) Fax Poëtica Roſtoch 1617. 8. Lib. rarus in Bibl-Albini p. 249.

LUCII (*Ludovici*) Profeſſoris Baſileenſis circa ſuperioris ſeculi principium, proſtat, ſed hodie rariuſcule comparens, præclarus *de Satisfactione Chriſti* libellus Baſil 1613. 12. excuſus cum epiſtolis quibusdam Joh. *Zaborovii*, Ad. *Planci*, & Georgii *Remi* D. & Conſiliarii Noribergenſis: vid. ZELTNER Hiſtor. Crypto-Socinifmi Altorfini T. I. p. 259. Titulus autem libelli integer hic eſt: *De graviſſima quæſtione, num Chriſtus pro peccatis noſtris Juſtitiæ divinæ Satisfecerit nec ne? inter Mich. Gittichium Socinianum & Lud. Lucium Orthodoxum Scholaſtica & epiſtolica Diſceptatio.*

LUCKII (*Joh. Jacobi*) *Sylloge Numismatum elegantiorum*, quæ diverſi Imperatores, Reges, Principes, Comites, Reſpublicæ, diverſas ob cauſas ab A. 1500. ad Ann. usque 1600. cudi fecerunt, concinnata hiſtorica narratione (ſed brevi) illuſtrata, opera ac ſtudio JOANNIS JAC. LUCKII Argentoratenſis. Argentinæ Typis Reppianis 1620. Sumtibus ipſius auctoris. fol. Eſt

hæc Sylloge uti rariſſima, cum ipſius auctoris ſumtibus fuerit impreſſa, tum utiliſſima, ſicuti juſtam horum numismatum partem faciunt Belgarum & Batavici nummi. v. PARS Index Batavicus. p. 368.

LUMNII (*Joh. Frider.*) *De extremo Dei judicio & Judæorum vocatione.* Venetiis apud Domininicum de Farris 1569. 4. Plura ſunt hujus *Lumnii*, (qui a pago *Lummen* ditionis Leodicenſis inter Dieſtemium & Haſſeletum medio, dictus eſt, & paſtor quondam erat Antverpienſis, ubi & A. 1602. demortuus eſt,) ſcripta, inter quæ & hic libellus propter ejus raritatem eminet, Quanquam enim is ſuam in Lutherum & ejus Reformationem non celet animi intemperiem, multa tamen alioqui inſunt bonæ frugis, uti vel ex recenſione STRUVII Bibl. Ant. A. 1706. p. 255. liquet.

LUTHERI (*Martini*) uti opuſcula omnia primæ editionis, quæ ejus ſolent appellari *Autographa*, quæque tantò majorem habent fidem atque auctoritatem, quantò deinceps in ipſis Operum Lutheri editionibus, ea non ſemel ſunt corrupta, mutilata atque interpolata, ſunt rariſſima; Ita tamen præ ceteris excellunt *Articuli* ita dicti *Swobacenſes XVII.* qui ſub hoc tit. in Biblioth.

Reim-

Reimmann. extant: vid. Catalog. pag. 404. ' *Bekantnisse D. Martini Lutheri up den gegenwärtigen angestellten Ryckes tage tho Augspurg, in XVII. Artikel vorvatet.* MDXXX. Magdeburg: Est hæc editio & versio longe rarissima; SECKENDORFIO, FRICKIO, aliisque scriptorum Lutheri sedulis inquisitoribus, non visa.

Quantæ autem raritatis sint *ejus Epistolæ*, quæ ex Bibliotheca Hasæana ad me devenerunt, jam observavit Rev. VOGTIUS pag. 361. Ut dolendum sit vehementer, ipsum Cel. WOLFIUM Theologum Hamburgensem, huic quoque saluberrimo consilio, eas denuò publicandi, unà cum variis aliis vel a Cl. BUDDEO, vel ab aliis editis, vel etiam ineditis, fuisse ante paucos annos magno cum reipublicæ literariæ damno, immortuum.

Est quoque LUTHERI libellus, cui titulus *Propositiones, ab initio negotii Evangelici usque ad hunc diem tractatæ.* Witeberg. 1538. editus longè rarissimus v. *Relat. innox.* A. 1709. p. 385. ubi simul observatur quam hæ Propositiones Latinis Operibus insertæ non sint integræ, ut multa memoratu digna in his deficiant.

MAGGII (*Joh.*) ædificia & ruinæ urbis Romæ, ex antiquis atque hodiernis monumentis delineata. Rom. 1649. 4. Bibl. Albin. p. 68.

MAGNENI (*Joh. Cryſoſt*) *Democritus reviviſcens*, ſive, *de vita & philoſophia Democriti*. Ticini 1646. Lugd. Bat. 1648. Hag. Com. 1658. 12. Librum hunc rariorem fecit, vel neglectus ejus, cum Gaſſendiana longè præſtantiora & luculentiora ſuppeterent, vel paucitas eorum, qui his literis librisque delectantur, teſte Cl. BRUCKERO in Hiſtor. Crit. Philoſ. T. IV. P. I. p. 504.

MAILLARDI (*Oliverii*) Concionatoris Pariſienſis circà finem ſeculi XV. Sermones, quos A. 1499. ipſe imprimi curavit, ſunt rariſſimi, inprimis cum vividum præbeant exemplum nugarum & ineptiarum ejus temporis, quibus tamen enarrandis ſuggeſtum quoque eccleſiaſticum deſtinare non verebantur Homiletæ. Dedit ex his & *Menoti* (conſimilis Homiletæ) Sermonibus exempla *Henricus* STEPHANUS in libro cui tit. *Traitè preparatif. pour Apologie pour Herodote*. 8. Du PINIUS in Nouv. Bibl. Tom. XII. p. 113. nihil de iis dicit, niſi, *qu'ils ne ſervent qu' à faire connoitre que l' on n' étoit pas fort delicat dans ce temps la ſur*

la

la Predication. Reperti ſunt in Biblioth. Petri Burmanni.

MAJORANI (*Lud.*) *Clypeus militantis eccleſiæ*, ſeu de vero Dei cultu. Ejusd. de *Opt. reip. ſtatu* Oratio, quam miſit ad Patres in Concilio Tridentino. Rom. 1575. 4. Lib. rar. Bibl. Albin. p. 68.

le MAIRII (*Joh.*) liber de differentia ſchismatum & conciliorum: Gallicè prodiit 1509. conjectante doctiſſ. LIEBIO ſed à *Ludov. Camerario* in Latinum idioma converſus, eſt rariſſimus.

MALÆSPINÆ (*Leonardi*) Emendationes ac Suſpiciones in Epiſtolas Ciceronis ad Atticum, Brutum & Q. Fratrem Venet. 1563. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 215.

MANUELIS (*Nicolai*) Comœdiæ A. 1522. apud Bernenſes ſub tit. *Zwey Faſtnachts-ſpielen* editæ, tantæ ſunt raritatis, ut in ipſa forte urbe Bernenſi pauciſſimi ſint, qui eas vel inaudiverint vel oculis uſurparint. Erant vero eæ totæ quantæ ſatyricæ; Prior appellabatur *der Todtenfreſſer.* Poſterior differentiam indicabat inter *Pompam Papæ Romani & ipſum D. N. Jeſum Chriſtum*: Eſt libellus editus primò 1525. & deinceps altera vice cum inſignibus Reip. Bernenſis apud Mathiam Apiarium, primum Urbis Bernenſis typo-

graphum : Et quanquam ſæpius quoque abinde fuerit recuſus, ejus tamen raritatem etiamnunc collaudat doct. SCHEURERUS in Vita *Nic. Manuelis* Bandophori Bernenſis p. m. 393. & 252.

MANZONIUS (*Hercules*) in Horatium *de arte Poëtica* Bergomi 1604. 4. Lib. rarus v. Bibl. Alb. p. 88.

MARTREZIUS (*Petrus*) ad L. Pandectarum Veter. de Pactis; Ejuſd. notæ in aliquot Jure-conſ. Locos. Pariſ. 1551. 8. Lib. rarus Bibl. Albin. p. 202.

MARTYROLOGIUM Eccleſiæ *Germanicæ*. v. BECKII.

MASSONIS (*Papirii*) Scripta quædam rariora recenſentur à V. Cl. *Magno* CRUSIO in Bibloth. Miſcell. Hamburg. Tom. I. pag. 54.

MASSE Voyages & avantures de Jaques MASSE á Bourdeaux (i. e. à la Haye) chès Jaques L' Aveugle 1710. in 8. Liber quidem ſcandaloſus eſt, ſed non Atheiſticus. Auctor potius Deiſta eſt, & ſacratiſſima Religionis noſtræ Myſteria deridenda propinat. Verus Auctor eſt Simon Tiſſot de Patot tum Matheſeos Profeſſor in Scholâ Daventrienſi. Id me docuit Celeb. PFAFFIUS in fine Commentationis Academicæ de recta Theologiæ Parab. & Alleg. Conformatione,

tione, ubi dicit, „ Patet hoc ex Epi-
„ ſtolis ſelectis, T. II. Ep. 40. p. 251.
„ ubi itinerarium hoc Maſſæi plurimum
„ laudat Tyſſotus, & licet inficietur,
„ ſe ejus auctorem eſſe, tamen, ut
„ ſorex, ſe eundem eſſe prodit, quem
„ & revera eum eſſe à Viris Doctis ac-
„ cepimus. „ Hæc ille.

Locus autem in illo libro peſtilentiſſimus eſt ille, qui ſiſtit fabulam de Apibus p. 460. ſeqq. M. H.

MAUROLYCI Sicanicarum rerum compendium. Meſſanæ 1562. 4. Lib. rariſſ. Bibl. Alb. p. 138.

MAZONII (*Jacobi*) *Quæſtiones centum & nonaginta ſeptem ſupra quinque millia.* Bonon 1577. 4. Hunc libellum rariſſimè inveniri teſtatur, qui eum breviter recenſet, Clar. BRUCKERUS Hiſtor. Crit. Philoſ. Tom. IV. P. I. p. 212.

MELANCHTONIS. Loci Communes rerum Theologicarum, ſive, Hypotheſes Theologicæ Philippo MELANCHTONE autore. 1522. in 8.

Hic liber, uti, LUTHERO teſte, inter omnes ejus libros eſt optimus, ita omnium conſenſu eſt longe rariſſimus. Quâ de cauſa Vir Cel. Herm. v. d. HARDT illum Hiſtoriæ Reformationis inſeruit. Multi quidem putant, hanc

editionem non esse primam, sed sciendum est, quod invito autore A. 1521. editio hujus libri procurata sit, ab aliis. Quæ autem A. 1522. prodiit, est prima & genuina, quam ipse Auctor edidit. Quâ de re juvat ipsum audire, qui in Dedicatione Tilemanno Plettnero facta ita loquitur; „ anno superiore „ Paulinam Epistolam, quæ Romanis „ inscripta est, enarraturi, communis„ simos rerum Theologicarum locos, „ adeoque illius Epistolæ farraginem „ ceu methodicâ ratione digessimus. „ Quæ lucubratiuncula cum in hoc tan„ tum esset parata, ut Paulinæ dispu„ tationis argumentum καὶ ἔλεγχον quam „ pinguissime iis indicarem, quos pri„ vatim docebamus, tamen nescio à „ quibus evulgari cœpit, quorum mi„ hi, quicunque tandem publicaverunt, „ studium magis quam judicium proba„ tur, nempe, quod ita scripsissem, ut „ sine Pauli Epistolà non satis intelligi „ posset, quid in totô opere secutus „ essem. Nunc, quia mihi non est in „ manu libellum propemodum publici „ juris factum premere, visum est re„ cognoscere, ac sub incudem revo„ care. Desiderabant enim pleraque „ accuratiorem disputationem, plera„ que etiam limam. „ Hactenus ille

Dolen-

Dolendum autem fuisset, si liber iste, in quô mirâ simplicitate & succinctâ brevitate præstantissimæ veritates divinæ traduntur, *a*) injuriâ temporum intercidisset, cum tot chartæ Volusianæ, quæ in ignem eant, dignissimæ, incolumes ad nostra usque tempora pervenerint. Conf. etiam de hôc librò Alberti ZUM FELDE Theologi Kiloniensis Analecta, ubi hunc librum valde commendat. M. H.

MERULÆ (*Pauli*) *Narratio rerum* adversus *Angelum Merulam* tragicè gestarum ab Inquisitoribus. Lugd. Bat. 1604. 4. Est liber longè rarissimus. Ejus quoddam excerptum videmus exhiberi à *Ger.* BRANDT in Histor. Reform. Belg. Tom. I. p. 198—213.

la MESSE *trouvée dans l' Ecriture* MDCXLII. 8. pag. 44. Schediasma hoc, in quo Jesuitarum castigatur impudentia, qui ut de Missa bene merentur, eam vel in ipsam Bibliorum versionem a se procuratam intruserunt, vertentes locum Act. XIII: 2. Λειτȣργȣντων δε αυτων τω Κυριω, per, *Eux disans la*

a) Cæterum de his ipsis Phil. *Melanchthonis Hypothesesi* Italico sermone editis, rarissimis, commentatur singulari dissertatione J. B. in *Miscellan. Lipsiens. novis* Tom. I. P. IV. p. 628. sqq.

la MESSE *au Seigneur*, longe esse rarissimum, observat AUG. BEYERUS in memoriis libror. rarior. p. 272. Notabile est, quod in eodem hoc libello, reliqua Pontificiis cordatioribus ipsis plerumque suspecta dogmata, non semel sub magnificis nominibus exponantur ludibrio. Sic. v. g. legitur p. 28. *Le Marquis* Purgatoire, *le Comte* Merite, *et le Vicomte* Franc-arbitre *tous officiers chez mere saincte Eglise Romaine. Car ce Marquis* Purgatoire, *est le grand maitre cuisinier de toute la Hierarchie, ayant la charge de faire bouillir la Marmitte. Le Comte* Merite *c'est le grand Thresorier de l' Eglise Catholique. Car il est Depositaire de ces richesses, par lesquelles elle pretend acheter le Royaume des cieux. Et le Vicomte* Franc-arbitre *c' est le Factotum de toute cette illustre Maison:*

MICRONII (*Mart.*) *Apologeticum.* Cujus integer titulus hic est: M. Micronii *Scriptum Apologeticum, quo Ecclesias Orientalis Frisiæ, à Joachimo Westphalo, aliisque ei similibus falsò traductas, modestè tuetur ac pargat. Responsum item ad quandam ejusdem Westphali epistolam de iis rebus scriptam, quæ post Anglicarum Ecclesiarum dissipationem, Hamburgi, aliisque vicinis in locis* A.

1554.

1554. *acciderunt. Inseruntur hic non nulla de cœnæ Dominicæ negotio, quæ legisse pium lectorem haudquaquam pigebit* Anno MDLVII. scriptum hoc à *Bertramo* in Hist. Vit. Joh. à Lasco P. II. pag. 308. inter raros libros recensitum Vir præstantissimus *Jac.* MARCUS harum cupediarum amator possidet.

MICROLOGUS de Ecclesiasticis Observationibus Opusculum ante annos prope quingentos conscriptum, ab homine antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimo, nunc primum vorò integrum in lucem editum opera Jacobi Pamelii Brugensis S. Th. Lic. Antverp. 1686. in 8.

Notatu digna sunt hujus Editoris verba, quæ in præfatione habet, ubi inquit: „ quà ætate (nempe A. 1080.) „ cum observata adhuc fuerit quibusdam „ in locis communio Eucharistiæ sub „ utraque specie, non est, quod miretur „ quisquam, si quid alicubi in Micro- „ logo scriptum repererit de ejus gene- „ ris communione. „ M. H.

P. de MIDDELBURGO, Paulina de recta Paschæ celebratione & die passionis Christi, Foro Sempronii 1513. 2 Tom. 1 Vol. fol. Liber extremæ raritatis.

MIN-

MINTURNI (*Ant. Sebastiani*) *Poëmata Tridentina.* Venetiis apud Jo. Andream Valvasſorem. A. MDLXIIII. in 8. Eſt hæc carminum Tridenti, tempore ſynodi illic habitæ, in ejus laudem concinnatorum Sylloge rariſſima, & auctorem habet *Epiſcopum Uxentinum* Poëtam non inelegantem. Dicavit is hæc poëmata *Joanni Morono* Cardinali & concilii Præſidi primario, quem ſummis extollit laudibus. Specimen ex hoc libello exhibuit Cel. SCHELHORNIUS in Amoënitat. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Literariæ Tom. II. p. 471. ſeqq.

MOLINÆI (*Caroli*) *Prima pars tractatus de origine, progreſſu & excellentia Regni & Monarchiæ Francorum, & coronæ Franciæ*, auctore Carolo Molinæo Lugduni 1564. 4. Eſt is liber pro jure Regum Francorum & libertate Eccleſiæ Gallicanæ à Molinæo compoſitus, uti præſtans, ita rarus, dedit ex eo excerptum STRUVIUS in Biblioth. Antiqua A. 1706. pag. 500. & ſeqq.

Fata Caroli MOLINÆI hujus, primùm apud Tubingenſes, Lutheranæ Profeſſionis Jurium Doctoris & Profeſſoris, deinceps ad Papismum prolapſi, Concilii licet Tridentini & factionis Jeſuitarum oſoris perpetui, enarrat BAUMGAR-

GARTEN in appendice ad Saligii *Hiſtor.-Concil. Tridentini* p. 301—ſq.

MOMBRITII (*Bonini*) Acta Sanctorum: De libro hoc longè rariſſimo, ita Doctiſſ. C. S. LIEBIUS ad Cl. de la Croze ſcribebat: „ Docebis me, quid ſentias, de *Bonini* MOMBRITII, „ Actis Sanctorum, quæ ille ex MSS. „ Codicibus ſub incunabula typographiæ ſine nota anni & loci, publici „ juris fecit, quæque in bibliothecis „ Pariſienſibus, ut Benedictinorum „ San-Germanenſi aliisque paucis evolvi. In Germania quidem noſtra, ubi „ ſtudium hiſtoriæ literariæ tot ingenia exercet, ita illa vel Doctiſſimus „ viris ignota ſunt, ut *Theod. Canterus* „ jam olim *Juſto Lipſio* ſcripſerit, ſe „ poſt ſollicitam inquiſitionem, ea non „ tamen vidiſſe, cui *Lipſius* reſpondit: „ *ſe de Mombritio nil niſi nomen ſcire:* „ &c. v. Theſ. Epiſtol. Croz. T. I. „ pag. 252.

MONTII (*Petri*) Exercitiorum, atque *artis militaris collectanea* Mediolani 1509. fol. Ejusdem de *ſingulari certamine ſive Diſſenſione*, deque veterum recentiorumque ritu. Libri III. ibid. Liber inventu rariſſimus.

MORATI (*Fulvii Peregrini*) *Carmina* quædam *Latina* Venetiis typis Joh. Antonii

tonii de Nicolinis de Sabio. 1533. 8. Eſt hic libellus, cum paucis tantum abſolvatur philyris, atque hinc ſua parvitate facile ſe eruditorum oculis ſubduxerit, rariſſimus & paucis fortaſſe viſus. Erat doctiſſimus & pientiſſimus Auctor, Pater elegantiſſimæ fœminæ *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, de qua in Miſcell. Duisburg. Tom. I. p. 339. atque hæc ejus carmina *Latina*, (unico inſerto *Italico*) laudibus potiſſimum *Catharinæ Pluenæ* Vicentinæ, (quam matronarum omnium pudiciſſimam & pulcherrimam nuncupat,) ac *Petri Bembi*, deſtinata; Veluti ex BEMBI epiſtolarum l. IV. p. 654. patet quid ille iis reſponderit apud SCHELHORN. in amœnitat. Hiſtor. Eccleſi. & liter. Tom. II. p. 648. qui ſimul ex hoc libello elucere obſervat, quam *Moratus* noſter, eo tempore Vicentiæ fuerit humaniorum literarum Profeſſor pûblicus.

MORNÆI (*Philippi*) Liber *de Statu Galliæ* 4. eſt longè rariſſimus. Eum non niſi pauciſſimis cognitum hactenus ſe nondum vidiſſe teſtatur M. CRUSIUS in Singularibus Pleſſiacis p. 32. Recenſetur verò is in Bibliotheca Menckeniana, quæ Lipſ. prodiit 1723. pag. 328. inter Scriptores qui de *Geographia & Topographia* ut & *de ſtatu Galliæ* ſcrip-

ſcripſerunt, quamvis ſine mentione loci & anni impreſſionis.

MURNAR (*F. Thomæ, Argentini Ordinis Minorum, Theologiæ Doctoris*) *Logica Memorativa*, Chartiludium Logicè, ſive totius dialecticæ memoria; & novus Petri Hiſpani Textus emendatus cum jucundo pictaſmatis exercitio. Argentinæ. Joan Gruninger. 1509. 4. Rara appellatur in Catal. *Bibl. vilenbroekianæ* p. 67.

MYRSILII (*Lesbii*) Fragmenta vetuſtiſſimorum Auctorum Baſil. 1530. 4. Liber adeò rarus dicitur in Catalogo Bibliothecæ *Sarrazianæ* ut hodie vix reperiatur, eſtque pro florenis 7: 15. ſt. divenditus. n. 1931. p. 192.

NAOGEORGI (*Thomæ*) *Regnum Papiſticum, in quo Papa cum ſuis moribus, vita, fide, cultu, ritibus atque cerimoniis*, Libris IV. *deſcribitur*, impreſſum A. 1559. 8. eſt liber rariſſimus, accedunt in Joh. de la Caſa ſodomiæ patronum Satyra. libri II. de diſſidiis componendis eximii, & in Catalogum hæreticorum nuper Romæ editum Satyra, variaque alia carminicè expoſita. De auctore horum libellorum *Thoma Nao-Georgo*, aliàs *Kirchmeyero* dicto vid. SECKENDORF. Hiſtor. Luther.

O Lib.

Lib. III. §. CXXXVII. n. 13. fol. 665. itemque FELLERI Monum. inedita. Trimestr. Octav. p. 490.

NAPEIRI (*Johannis*) Comm. Apocalypsin vid. Symbol. literar. T. I. p. 585. & SCHELHORN. vit. Camerar. p. 181.

Est verò is liber in Belgicam quoque conversus & 1600. 4. Middelburgi excusus. v. Bibl. Albini p. 41.

NASCIMBÆNII (*Nascimbæni*) Commentarius in Ciceronem de Inventione Venet. 1564. 4. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 91.

NAUDÆI (*Gabrielis*) Panegyricus dictus Urbano VIII. P. M. ob beneficia ab ipso in M. Thomam Campanellam collata. Parisiis 1644.

Constat, Campanellam fuisse vasti & portentosi ingenii hominem, quique, uti loquitur TOLLIUS, omnes fati acerbitates, & quicquid usquam truculentiæ est, pertulit. Uti magnum ingenium invidos contra ipsum armavit, ita suspicio, quod perduellionis reus sit, effecit, ut carceri Neapolitano mancipatus, ibi per ipsos 25. annos duriter & immisericorditer haberetur, donec inde opera Urbani VIII. liberatus, in Galliam concessit, ibique benigne habitus obiit. Cum autem post

ejus

ejus fata intempestivus quidam Aristotelis defensor in libro, qui inscribitur, *College Royal de France* quædam inclementer in Campanellam dixisset; Gabriël NAUDÆUS suarum partium esse duxit, famæ amici defuncti ut consuleret, hunc Panegyricum in lucem edere, qui sanè lectu dignissimus est, & Autoris sui eruditionem testatur, Non est autem ille adeò frequenter obvius. M. H.

NAUGERII (*Andr.*) *Orationes & Carmina* Venet. 1530. fol. Lib. rar. in Bibl. Jani Albini p. 16. Quanquam cum omnia *Naugerii* Patricii Veneti Scripta à Cl. *Joh. Ant.* VOLPIO Patavii 1718. 4. unâ cum Naugerii Vita sint edita, jam tantæ raritatis ea amplius non sint.

NAUSEÆ (*Friderici*) & *ad Nauseam Epistolæ*, in folio editæ longè sunt rarissimæ. Erat is Ferdinando Regi à sacris concionibus, atque deinceps Johanni Fabro in Episcopatus Viennensi substitutus A. 1541. singularis Erasmi amicus, sed Lutheri adversarius, ita tamen, ut omni ex parte Ecclesiæ Romanæ reformationem expeteret & exoptaret, unde factum est, ut cum in Tridentina Synodo in magna esset auctoritate, atque plura colloquia indagandæ

veritatis causa institueret cum Protestantibus, multosque inveteratos errores acriter carperet, quibusdam Ecclesiæ Romanæ Proceribus is redderetur suspectus. Est is Tridenti mortuus 1551. conf. RITTER Histor Reform. Francof. pag. 95. itemque *Pantaleon* de Viris Illustribus & al.

NICOLAI (*Philippi*) *Kurtzer bericht von der Calvinisten Gott und ihrer religion.* &c. Franf. 1597. 8. Ejusd. *von der gantzhen Calvinischen religion, sampt derselbigen widerlegung.* ibid. 8. Ejusd. *Spiegel des bosen geistes der sich in der Calvinisten büchern reget, und kurtz umb fur ein Gott wil geehret seyn, wider die zveen unnütze gegenbericht der prediger zu Zürich, und der fledermausen in Westphalen, so sich fur Unnaische burger ausgeben* &c. ibid. 1599. 8. Ex titulis horum librorum, sane non à Spiritu vel charitatis vel veritatis inspiratorum, sed magis adhuc ex ipso tenore, apparet, quam infestum erga nos animum & maledicum exercuerit calamum, qui eos conscripsit, Auctor, quamque is, plus quam credi potest, debacchetur, &, cum argumentis non posset, linguæ venenatæ & meris calumniis refertæ spiculis, nos nostramquæ doctrinam infestaverit. Exstat ceteroquin ejus quoque

que *Commentarius de Regno Christi* Francof. 1607. 8: qui est *commentarius in Apocalypsin*, in cujus libro II. lectoribus persuadere conatur Auctor. A. C. 1670. finem mundi affuturum: Et eundem librum Germanice extare, interprete GOTHARDO ARTUSIO discimus ex Catal. Bibl. Reimmann p. 330. conf. *Oblation. spontan Hassiac.* P. pag.

Quam vero sit incredibilis hodiernorum Lutheri asseclarum plurimorum, adversus Reformatos zelus, vel patet ex temerario illo, quod *in denen Unschuldigen Nachrichten* 1725. p. 751. reperitur voto, ut PHIL. NICOLAI liber, quem æternis tenebris mancipare satius esset, *de Deo Calvinistarum*, denuo imprimeretur; Quasi vero non exacerbati satis essent erga nos Lutheranorum animi, ut calamus atri loliginis succo tinctus denuo sit exponendus publico, cum æterno ipsorum opprobrio & non minori apud omnes cordatiores utriusque Confessionis infamia. Interea bene se habet, quod hæc librorum carcinomata rarius jam habeantur, atque se quamplurimorum oculis subduxerint.

NICOLASII (*Augustini*) Liber de *Quæstionis severioris rationibus*; hunc rarissimum librum se à Doctiss. *Grozio*, do-

no accepisse lætatur Cl. *Jo. Christoph.* WOLFIUS in Thes. Epistol. Croz. Tom. II. p. 234.

de NICEPHORI Blemmidæ compendio Physico in Latinam ling. converso per Thomam Wegelinum Aug. Vindel. 1606. &c. v. BRUCK. Hist. Crit. Philos. T. III. p. 545. not. q.

NIVELLE Mr. *Factum pour la Dame de Brinvilliers, Imprimé à Paris l'an 1676.* est rarissimum. Ipsam hujus Marchionissæ, quæ proprium Parentem Fratresque duos lento veneno (dicto *le poudre de la Succession*) enecaverat, historiam in Lexico JSELIANO Tom. I. fol. 1623. breviter enarrari videmus, uti ipsa capite plexa, atque in favillam redacta, parricidii aliorumque scelerum quam plurimorum pœnas luit: Hanc ejus causam, causarum Patronus NIVELLIUS cum defendendam susciperet, inde ab una parte prodiit *Arrestum Parliamenti Parisiensis contra Marchionissam de Brinvilliers,* & ab altera parte hoc ipsum *Factum pour la dite Marquise.* Ita tamen ut utraque hæc scripta longe sint rarissima.

Fratris *Johannis* NYDER Ord. Prædicatorum *in Decalogum annotationes.* Parisiis 1478. impressæ per magistrum Uldericum Gering. 4. sunt rarissimæ

conf.

conf. de Scriptis J. Nyderi *Acta Erud.* 1720. p. 451. & Cl. VOGT. Catalog. p. 421.

OLEARII (*Joh. Godofredi*) Superintendentis Arnstadiensis, *Scrinium Antiquarium*, ἰδιοχειρὰ *Antiquitatis fragmenta &c. sistens* Halæ 1671. 8. primo excusum, deinceps vero, hortantibus viris eruditis, cum annotationibus potissimum historicis multa ex parte auctis recusum Jenæ & Arnstad. 1698. 8. Est hoc scrinium longe rarissimum, & propter ipsa quæ inibi reperiuntur Κειμήλια pretiosissimum, In quo A. B. *Carlostadii* J. *Eccii* Wolfg. Fabricii *Capitonis*, *Flacii* Illyr. & sim. itemque XXXI. Epistolæ *Hieronymi Welleri* reperiuntur. Ut operæ quis pretium, atque eruditis ejusmodo cupediarum amatoribus rem gratam facturus esset, qui novam nobis hujus scrinii procuraturus esset editionem.

OLIVARII. Inauguratio Olivariana, sive pro Præfecturâ Sereniss. Principis Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ D. Protectoris OLIVARII Carmen Votivum. Lond. in 4. Anno nostræ salutis 1654. Olivari Protectoris primo. pagg. habet 118. In fine addita sunt quædam Epithalamia & Epicedia. Causas raritatis

hujus scripti nemo non intelligit. M. H. OSORII (*Hieron.*) *Episcopi Algarbiensis.* Opera omnia Rom. 1592. fol. 4. Vol. Lib. rariss. v. Bibl. Albini p. 18. Continentur iis verò Vita Auctoris. De Nobilitate civili Libri II. de Nobilitate Christiana Libri III. de Gloria Libri V. de Regis Institutione & disciplina libri VIII. de Rebus Emanuelis Regis Lusitaniæ invictissimi virtute & auspicio gestis Lib. XII. Admonitionum in Epistolam ad Elisabetham Angliæ in Gualtherum Haddonum Lib. III. de Justitia Libri X. De Sapientia Lib. V. in Epistolam Pauli ad Romanos Lib. IV. Paraphrasis in Jobum Lib. III. Paraphrasis in Psalmos. Notationes in paraphrasin in Psalmos. Comment. in Parabolas Salomonis. Paraphrases & Notationes in Cantica. Paraphrasis in Jesaiam. Commentar. in Oseam Prophetam. Commentar. in Zachariam. Oratio in laudem D. Catharinæ in Evangelium Johannis Orat. XXI. Sunt verò hæc omnia stilo conscripta purissimo atque elegantissimo.

PALEARII (*Aonii*) *Actio in Pantifices Romanos*, & eorum asseclas &c. Lipf. 1605. ex editione Vogeliana, 8. inter rariores seculi XVI. conscriptos Tracta-

tus

tus locum habet: Integer Titulus ita ſe habet: *Aonii* PALEARII Verulani, Jeſu Chriſti Martyris, *Actio in Pontifices Romanos, & eorum aſſeclas ad Imperatorem Rom. Reges & Principes Chriſtianæ reip. ſummos œcumenici Concilii præſides conſcripta, cum de concilio Tridentino habendo deliberaretur. Nunc primum in lucem edita. In qua ſingulari methodo præcipua corruptela a Pontificibus Romanis in doctrinam Apoſtolicam invectæ, S. Scripturæ teſtimoniis, Sanctorumque Patrum auctoritate dilucide deteguntur & ſolidiſſime refelluntur.* Recenſuit egregium hunc & quantivis pretii libellum, atque ſimul breviter *Aonii Palearii* vitam nobis enarravit J. C. celeberrimus BURCH. GOTH. STRUVIUS in Bibliotheca Antiqua publicata Jenæ 1705. pag. 29. & ſqq. Cæterum & egregiam PALEARII Epiſtolam ad M. Lutherum, Ph. Melanchtonem, M. Bucerum & J. Calvinum & Germanos Helvetosque univerſos, qui invocant Jeſum Chriſtum A. 1542. datam ex. Mſſ. Guelpherbytano cum præfatione *de fatis & morte Palearii*, ſuis Amœnitatibus Hiſtorico-Eccleſiaſticis inſeruit Cl. SCHELHORNIUS Tom. I. p. 448. &. ſqq. Qui & obſervat, quam illa *Actio in Pontifices Rom.* &

eorum aſſeclas, editioni *Wetſtenianæ* Amſtel. 1696. 8. ſit inſerta, & ante paucos annos editioni Jenenſi, quam Cl. HALBAUERUS procuravit 1728. 8. qui & ipſe de vita fatis & meritis *Aonii* PALEARII diſſeruit uberius, ejusque Opuſcula, inter quæ, præter *Orationes* ejus, eminet *de Immortalitate animorum* Opus egregium, ſtylo Lucretiano carminice compoſitum, & tribus libris comprehenſum.

PALEOTUS (*Alphonſus*) Scriptor Pontificius Scripſit *Hiſtoriam Admirandam de Jeſu Chriſti ſtigmatibus* Duaci 1616. 4. cujus libri raritatem laudat *Biblioth. Hamb. Miſcell.* T. I. p. 630.

PANDOCHÆI (*Johannis*) *Conſenſus Orthodoxus Eccleſiæ Lutheranæ in doctrina de Prædeſtinatione.* Helmſt. 1596. 8. Eſt is liber rariſſimus, quem ex bibliotheca Haſæana nobis comparavimus. Dedit ex eo illuſtriora quædam excerpta Teſtimonia, Clariſſimus STEPH. VITUS, atque ea ſubjunxit Apologiæ pro Synodo Dordracena adverſus Cel. MOSHEMIUM editæ, cum adjunctis in titulo his verbis: *Ex quibus inter omnes conſtabit, hodiernos Lutheranos à Patrum ſuorum fide defeciſſe, neque noſtras de Gratia & Prædeſtinatione ſententias, fidei & ſalutis fundamentum convel-*

vellere, Lutheranos adfirmare posse, nisi qui perfidi sint genuinæ suæ Ecclesiæ proditores. Neque verò, tametsi Pandochæus ita mirifice comprobat primævæ Ecclesiæ Lutheranæ doctores nobis in doctrina de prædestinatione, gratia & libero arbitrio, penitus ὁμοψήφους fuisse, credi debet, eum vel ullo modo pro *Syncretista* vel *Crypto-Calvinista*, (quomodo hominem Reformatorum sententiis deditum denigrare solent Lutherani,) haberi debere; cum iniquissimo adversus nos alioquin fuerit animo, omnique opera eam a se avertere, uti appellat, calumniam, fuerit conatus. Erat verò *Pandochæus* Pastor tum temporis *Nordhusanus*, atque deinceps Superintendens *Sangerhusensis*:

PARKERI (*Math.*) *Antiquitates Britannicæ*, inter rarissimos connumerantur libros: *a*) Est vero is liber, qui in Ecclesiæ Anglicanæ rebus ab A. 1569. ad 1575. tradendis alios omnes fide, elegantia, & gravitate longe superat, absque Auctoris nomine impressus sub hoc titulo. *De Antiquitate Britannicæ Ecclesiæ, & nominatim de privilegiis Eccle-*

siæ

a) Videmus intereà novam hujus Operis editionem prodiisse Londini 1729. in folio. ut amplius inter rarissimos saltem libros id commemorari non possit.

siæ Cantuariensis, atque de archiepiscopis ejusdem LXX. Historia. Antehac non nisi semel, nimirum Londini in ædibus Joh. Daji MDLXXII. excusa. Nunc vero boni publici ergo recognita & recusa. Hanoviæ typis Wechelianis ap. Claud. Marnium & hæredes Jo. Aubrii MDCV. fol. I. Alph. plag. 8. vid. COLER Antholog. p. 77. & seq. qui simul ex *Tho. Hearnii* præfat. *ad Roberti de Avesbury* Historiam de mirabilibus gestis Eduardi III. edit. Oxon. 1720. refert, quam non PARKERUS ipse Archiepiscopus Cantuariensis, sed JOHANNES JOSCELINUS, Parkeri antiquarius & domesticus, verus ejus Libri sit Auctor, qui tamen, propter verecundiam, &, ne hæc res sibi conflaret invidiam, nomen divulgari prohibuit, unde eam laudem retulit Parkerus, quæ alii potius debetur. Conf. HENR. WHARTONI Anglia sacra Præf. p. 17. & 18.

At verò, nec ita satis accuratè rem notatam esse addiscimus ex Jac. USSERII Libro de Christianarum Ecclesiarum Successione & statu cap. III. fol. 34. ubi *Antiquitates Britannicas* auctorem habere D. *Ackworthum* observat, sed, partem libri posteriorem, quæ *Historiam Archiepiscoporum Cantuariensium* con-

continet, D. Mathæo Parkero procurante, collectam fuisse à *Joh. Josselino* refert.

PARUTA (*Phil.*) *Palermo antico. Palermo sacro.* & *Palermo Nobile.* cum fig. numismat. & inscript. in Palermo 1649. 1650. 1651. fol. 3. vol. Liber omnium rarissimus dicitur in Bibl. *Albini* n. 286. 7. 8. p. 25.

—— *Memorie Historiche della Città de Catania &c.* Cataniæ in Sicilia 1639. Lib. rariss. ibid. p. 26.

PASCHALII (*Caroli*) Legatio Rhætica Lutet. Paris. 1610. in 8. liber rarus & eleganter scriptus est, qui tamen ab Andrea MAUROCENO Venetorum clarissimo Historicô partium studii insimulatur, si fides habenda Gryphio de Script. Sec. XVII. p. 412. M. H.

PASCHALII (*Petri*) *Opuscula* Venetiis 1548. typis Pauli Manutii in 8. excusa in paucorum manibus versantur. v. SCHELHORN Vit. Ph. Camerar. pag. 83.

PASORIS (*Georgii*) Grammatica Græca N. T. in tres libros tributa. Edidit Matthias Pasor F. Groningæ 1655. Hæc Grammatica paucis cognita apprimè facit ad N. T. melius intelligendum, ob magnam exemplorum sacrorum quæ afferuntur, farraginem, quo-

rum

rum si index fuisset adjectus, majorem adhuc usum præstare posset. M. H.

PASQUIER (*Etienne*) Ejus Epistolas esse rariores observat *Langlet du Fresnoy* in Catal. Historicor. præcip. p. 214. Prodierunt sub. tit. *Lettres d'Etienne Pasquier* 8. Paris. 1619. 3 Vol. Censura Langleti hæc est: *Ces lettres contiennent une infinité des faits importants sur notre histoire. Elles ne sont pas tout à fait communes*;

Ejusdem *Catechismus Jesuitarum* est liber insignis raritatis. 8.

PATINI (*Caroli*) *Familiæ Romanæ*. Lutet. Paris. 1663. 4. lib. rarus in Bibl. Albini p. 67.

PATRICII (*Franc.*) *Discussiones Peripateticæ* Venet. 1571. 4. Liber rarus in Bibl. Albini p. 50.

PERCIVALLI (*Bernardini*) *Laudationes de re liberali* Brixiæ 1586. 8. Lib. rariss. in Bibl. *Albini* p. 201.

PEREIRÆ (*Johannis de Zolorzano*) de Indiarum jure, sive de Justa Indiarum Occidentalium inquisitione, acquisitione & retentione 2 Vol. fol. Madrit. 1629. In Catal. Bibl. Jani Albini *Liber rarus* appellatur.

PEREIRÆ (*Georg. Gomecii*) *Antoniana Margarita* v. VOGT. Habuit eam Janus Albinus v. Cat. Bibl. p. 10. n. 119. qui & poste-

posteriorem Librum hac ipsa Margarita adhuc multò rariorem possedit. sub. tit. *Novæ veræque Medicinæ, experimentis & evidentibus rationibus comprobatæ prima pars, contra Galenum & alios antiquos medicos.* Ex quo libro Neoterici Medici plurima inventa nova hausisse dicuntur.

PERRINI (*Johannis Pauli*) *Historia Christianorum Albigensium & Waldensium* tripartita, Gallice Genev. 1618. & 1619. 8. inter rariores libros habetur. Ut Doctiss. HECKERUS qui de Henricianis & Petrobrusianis conscripsit dissertationem p. 9. non sine dolore fateatur, se Jo. P. Perrini tractatum deprehendere non potuisse. Erat Auctor Minister *Nionensis* in *Delphinatu*. Illi pro hoc tractatu gratias solennes egit *Synodus Alesiensis* habita A. 1610. Est vero is à TH. BRAYO S. Th. D. & Pastore ecclesiæ Buttolphi Londinensis anglice editus 1712. atque insertus P. II. Tomi I. collectionis scriptorum. *De dominio papali & persecutione à pontificiis exercita.*

PERSONÆ (*Jo. Bapt.*) *Noctes solitariæ*, sive, de iis quæ Scientificè in *Odyssea* scripta sunt. Venet. 1613. 4. Hunc librum raritatis notam habere certum est.

PERUSCI (*Julii*) *Epistolæ*. Venet. 1568. 8. Liber rarus appellatur in Catal. Bibl. J. Albini p. 169.

PE-

PETRI (*Blesensis*) Opera, operà Johannii Busæi Soc. Jesu Theologi. Moguntiæ 1600. in 4. Editio hæc prima hujus operis, postea nonnullis Bibliothecis Patrum inserti, raro comparet. Autor ipse, qui floruit circa ann. 1160. quique primus in re Eucharistica *Transubstantiationis* nomen usurpasse dicitur, dignus est, qui scriptoribus illustribus, imo Testibus veritatis accenseatur, hinc Flacius Illyricus & Joh. Wolfius nonnulla testimonia ex eo attulerunt. Prior autem fallitur, quando unquam eum Archi-Episcopum sive in Anglia sive Rothomagi fuisse putat. Cæterum res admiratione dignissima est, Virum istum in illa temporum barbarie literis Sacris & profanis imbutum adeò pectus habuisse. M. H.

PETRI (*Franc. de*) dell' Antichità & dell' Historia Napoletana &c. Libri duo cum figur. numismat. & inscript. in Napoli 1634. fol. Lib. rarior in Bibl. Albini p. 25.

PHILELPHI Epistolæ. fol. editæ inter rariora Seculi XV. monumenta recensentur.

PHILOTHEI Symbola Christiana, quibus idea hominis Christiani exprimitur. Francof. 1677. in folio. Occurrunt hic centum symbola, æri eleganter incisa,

qui-

quibus & in proſa & in ligata explicatio ſubjungitur, lectu digniſſima. Præfationem præmiſit V. C. Paulus HACHENBERGIUS, Academiæ Heidelb. Profeſſor, poſtea Caroli Electoris Palatini Conſiliarius Intimus, qui illius opera ad literarum & ſapientiæ ſtudia antea uſus erat. Autor autem iſte Philotheus, pietatis lucidiſſimum ſpeculum, uti ab Heideggero vocatur, fuit Sereniſſ. Princeps CAROLUS tunc temporis dignitatis Electoralis Archi-Palatinæ hæres, poſt obitum autem Patris Caroli Ludovici, illius Germaniæ Salomonis, Elector, quem fata terris tantum oſtenderunt. Illum Authorem deſignat Cel. HEIDEGGERUS, qui in Dedicatione *Enchiridii Biblici* huic Electori facta, quædam ejus ſymbola apposité citat. Cauſa autem, quod liber iſte non adeò frequenter in eruditorum conſpectum prodeat, hæc eſſe videtur, quod pauca ejus exemplaria fuerunt impreſſa, & hæc ipſa, uti fieri conſuevit ab autoribus in tam excelſò faſtigio conſtitutis potius cum viris Principibus quam Bibliopolis communicata. M. H.

PHRYGIONIS (*Pauli Conſtantini*) *Commentarius in Micham* Argentor. 1538. Opusculum rarum, luculentum, eruditum, eo magis æſtimandum, quo

minus notum est nomen Auctoris Theologi quondam Basileensis, cui suam cumprimis Reformationem debet Ducatus *Wurtemburgicus*, & in eo Ecclesia *Tubingensis*, in qua is mortuus est A. 1543. Vitam ejus breviter habet M. ADAMI in Vitis Theologor. Germanor. fol. 46.

Extant ejus quoque *Commentaria in Exodum & Leviticum* in quibus haud pauca mysteria explanavit, consentiente PANTALEONE lib. 3. Prosopgraph. & CRUSIO in Annalibus Suevicis.

PIBRAC (*Gui du Faur de*) sive, *Vidi Fabricii Pibracii*, Senatoris Parisiensis, scripta omnia esse rariora inter eruditos constat. Sunt inter ea, Laudes vitæ rusticæ ab eo compositæ, *itemque* Orationes in Senatu habitæ, *porrò* Tetrasticha Moralia, Gallico versu scripta, & *denique Epistola*, qua illaudatum *Nuptiarum Parisiensium* facinus tueri ac defendere non dubitavit. Quod is cum Arnoldo Ferrerio in concilium Tridentinum à rege Galliarum Carolo IX. A. 1562. legatus fuerit missus, ex Actis ejus Concilii est notum, uti vel ipsa ejus Oratio tum habita à P. SARPIO in Historia hujus Concilii commemoratur Lib. VI. p. 461, sq. Cæterum PI-

BRA-

BRACII Vitam paucis descripsit DUPINIUS in Histor. Concil. Trid. c. XV. p. 553. sq. Quod ad illam vero adtinet Epistolam ἀνωνύμως editam ad effictum *Stanislaum Eluidium*, qua is lanienam illam Parisiensem tuetur tanquam justam atque adeò laude dignam, recte observavit in notis ad *Sammarthani* Elogia l. 3. n. 16. p. 154. Cl. *Heumannus*, ejus *Thuanum* quoque meminisse Lib. LIII. n. VII. itemque *Serranum* in Comment. De statu relig. ac reip. in Gallica L. X. p. 61. Qui & idem *Heumannus* l. c. observat *Jac. Thomasium* hanc Epistolam recudi curavisse Lipsiæ 1672. sub tit. *Nuptiæ Parisinæ*, ita ut ipsam Elvidii S. *Joach. Camerarii* Responsionem quoque ad eam Epistolam adjecerit.

PLANTAVITII (*Joh. de la Pause*) Episcopi Lodovensis *Florilegium Rabbinium* Lodovæ 1644. fol. est rarissimum; nec minori vero raritate gaudet Ejusdem *Florilegium Biblicum* ordine alphabetico digestum, cujus Pars prima complectitur Hebraicas veteris Testamenti sententias versione Latina, brevique juxta literalem sensum commentario illustratas; Et Pars secunda Græcas N. T. sententias itidem illustratas Lodovæ eod. anno. fol. 2. Volum.

PLINII editionem primam 1469. Venetiis impressam adeo raram esse perhibet Author *des Memoires de literature* Tom. I. §. II. p. 277. ut dicat. *Il paroit de plus que cette premiere edition de Pline est fort rare, puisqu' elle ne se trouve dans aucune des Bibliotheques de Paris, car si elle y eut ete, le Pere Hardouin n'eut pas manqué de s'en servir.* Sed vid. *MAICHEL.* de Bibl. Parisiens. p. 68.

POETARUM quinque illustrium carmina, nempe P. *Bembi.* Andr. *Naugerii.* Balth. *Castilionei.* Jo. *Cottæ* & M. Ant. *Flaminii* Venet. ex offic. Erasmiana. 1548. 8. Lib. rar. in Bibl. Albini p. 166.

POGGII *Facetiæ.* in fol. & *contra fratrem Hieronymum* (Savonarolam) *hæresiarcham* libellus & processus, in Arcanis Bibliothecæ Annæbergensis p. 47. inter rariora ejus Bibliothecæ monumenta recensentur.

PONTI (*Antonini*) Rhomitypion; Ubi omnia Urbis Romæ & nova & vetera describuntur. Rom. 1524. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 112.

PORTI (*Francisci Porti*) Commentarii in varia *Xenophontis* opera Excudit. Joh, le Preux 1586. 4. Ejusdem cum Aretio in Pindarum sunt raritatis, videnturque nec ipsi Cel. FABRICIO fuisse cogniti, nisi quoad titulum. Edi-

dit

dit eos *Æmilius Portus* Filius, cujus ceteroquin extant *annotationes in Xenophontem* editioni Leunclavianæ adjectæ, qui & præfationem operi eruditissimo præmisit. Complectitur hoc Opus pagg. 535. in maj. forma quarta.

PORTIS (*Philippi de*) Psalmorum versio Gallica rarior, teste M. V. de la CROZE in Thes. Ep. Croz. T. I. p. 214.

POSTELLI (*Gul.*) Sacrarum apodeixeon, seu, Euclidis Christiani libri II. Paris. 1543. 8. Est liber rarissimus, uti pleraque Postelli, à Cl. VOGTIO jam notata p. 470. sq.

PRÆDINII (*Regneri*) Groningensis Opera omnia Basileæ 1563. in folio per Johannem Acronium Frisium edita sunt rariora, nobisque tantò majoris æstimanda, quod is inter literarum & doctrinæ sacratioris instauratores atque Reformatores apud Groninganos nostros locum habet insignem, quippe qui quod per Wesselum Gansfortium erat inchoatum per Rudolphum Agricolam verò continuatum feliciter quoque pergit, atque scribendo & docendo, totam fermè Rempublicam Groninganam renovavit, literarumque præceptis imbuit; *a*) Erat ipse Winsumo-Omlandus,

a) Sunt eximia ACRONII in dedic. ad Ampliss.

natus A. 1509. denatus Anno ætatis 51mo A. 1559. d. XVIII. Aprilis. *Prædinius* vocari voluit quod ruri & in prædiis eſſet natus. Fuit is, ad maturam cum deveniſſet ætatem, Scholæ Groninganæ usque ad vitæ finem Moderator eruditiſſimus, ſapientiſſimus, diligentiſſimus; Scripta verò ejus admodum eximia eſſe, ſolida, ſuccincta, fidem veram ac pietatem inculcantia, imò & promovendæ rerum ſacrarum cognitioni accommodata unusquisque ea legens experietur.

PROCLI Opuſcula omnia; Gr. Lat. è Biblioth. Geverharti Elmenhorſtii Lugd. Bat. 1617. 8. Lib. rarus in Bibl. Alb. p. 204.

PRO-

pliſſ. Senatum Groninganum verba: Hi tres veſtri ſunt. . . . „ qui ſemper veſtros „ & omnes mortales ad honeſtas diſciplinos & veram Dei cognitionem adhortabuntur & inſtigabunt. . . . quò & Vos „ imitentur, *qui probatiſſimam & utiliſſimam habetis conſuetudinem in filiis educandis, quod omnes ferè curetis magna diligentia, & non exiguis ſumtibus, ut rectè inſtituantur ingenuis diſciplinis. Propterea quoque honeſtiſſimus ac graviſſimus veſter ordo Senatorius conſtat majori ex parte eruditis ac nobiliſſimis viris. Talem ſane Remp. veteres philoſophi beatam judicarunt.*

PRODIGIUM NATURÆ & *Gratiæ Portentum*. Madriti 1651. in folio. Liber, cujus *Nicolaus* ANTONIUS meminit in Bibliotheca Hiſpanica Tom. II. p. 133. Auctor ejus Hiſpanus ſe nominat *Petrum de Alva* ASTORGA, cujus ipſius commemorantur *Funiculi nodi indiſſolubilis de conceptu mentis & conceptu ventris* &c. à Cl. *Vogtio* p. 26.

Nota eſt Libri CONFORMITATUM *Vitæ P. Franciſci ad Vitam Jeſu Chriſti*, infamia, atque *Beyero* in Memoriis libr. rarior. p. 54. ſq. & *Vogtio* p. 201. 2. 3. commemorata; Cui liber ſub. tit. *Alcorani Franciſcanorum* ab Erasmo ALBERO conſcriptus & 1531. ac deinde ſæpius editus; eſt oppoſitus.

Eſt quoque erudita BÆLII de eodem libro Conformitatum cenſura: „Perſonne n a faict plus de tort à S. François „que ſes propres enfans: ſi, en publiant ſon hiſtoire, ils avoient paſſé „l'eponge ſur les choſes qù il valoit „mieux enſevelir dans le ſilence, ils „n auroient pas donné lieu aux Proteſtans de le tourner en ridicule.„

At verò, cum in hoc *Bartholomæi Albizii* Piſani (is enim ejus eſt auctor) libro *quadraginta* inſtituerentur comparationes, ſive *conformitates* inter Chriſtum & ejus dicta, facta,

miracula, & inter Franciscum chordigerarum parentem, tum idem ille, quem indigitamus Hispanus, *P. de Alva* ASTORGA, his minimè contentus, in eo quem diximus libro, cui tit. *Prodigium* &c: eas, incredibile dictu, ad *quater mille* conformitates extendit: Neque enim per *prodigium naturæ & gratiæ portentum*, quenquam indigitat, quam eundem illum S. *Franciscum*, in cujus mirabilibus enarrandis is ultra quam credi potest & diffusus est & fatuus. Suppeditavit hujus libri longè rarissimi, quique in *Bibliotheca Genevensi* publica asservatur, quandam recensionem, atque ex eo quædam dedit specimina auctor anonymus, data epistola A. 1744. d. 1. Aprilis scripta, quæ inserta legitur *dans la Biblioth. Raisonn.* 1744. P. I. pag. 279—299.

PSALTERII. Pars Gallice reddita & Carolo VIII. dedicata, inter rariores libros impressos Bibliothecæ Regiæ Parisiensis connumeratur à Doctiss. MAICHELIO de Biblioth. Parisiensibus p. 42. In ejus Prologo hæc verba leguntur, quæ omnino hic referri merentur, ut pateat, quæ Gallice scribendi ratio tum temporis in usu fuerit: *Combien que* MONSEIGNEUR *S. Augustin dit, que le Prophete Royal David*

ait

ait ete acteur & compositeur de tous les Pseaumes contenus au Pseautier. Toutefois MONSEIGNEUR *S. Hierome tres soigneux au texte de la Sainte Ecriture, pourquoy en ce cas on doit adjouter grande fois, & credence à lui, dit le contraire.*

PURVEY (*Joh.*) vid. ANONYM. in Apocalypsin.

PUTEANORUM Fratrum Collectio Actorum ad Concilium Tridentinum spectantium vid. *Instructions.*

PYTHII Mathematici delineatio Apologetica maris æneі fusilis à Cel. van TIL in Bibl. Th. p. 101. inter libellos rariores refertur. M. H.

RANCHIN (*Guill.*) *Revision du Concile de Trente*, contenant les nullités d'iceluy, les griefs des Rois & Princes Chrestiens, de l'Eglise gallicane & autres catholiques. 1600. Est equidem is liber admodum rarus, non ascripto auctoris nomine publicatus, sed habet auctorem *Gul.* RANCHINUM Advocatum Montispessulanum, de quo plura nobis Cl. SCHMINKIUS Philologus Marburgensis suppeditat in præfat. ad *Syntagma Criticum* &c. Ipsius vero hujus libri argumenta recenset Ven. BAUMGARTEN Theologus Halensis

ſis in appendice ad *Saligii Hiſtoriam Concilii tridentini* p. 293. ſq.

RATISBONENSIS Colloquii &c. vid. ACTA.

REFORMATIO Legum Eccleſiaſticarum, ex authoritate primum Regis Henrici VIII. inchoata, Deinde per Regem Eduardum VI. provecta, adauctaque in hunc modum, atque nunc ad pleniorem ipſarum reformationem in lucem edita. Londini 1640. 4. Liber eſt raro obvius, cujus hiſtoriam & breve argumentum exponit G. BURNETUS in Hiſtor. Reform. Anglic. Tom. II. ad A. 1552. fol. 130. & ſq. edit. Latin. Genev. Primarius quidem hujus libri Auctor eſt *Th.* CRANMERUS Archiepiſcopus Cantuarienſis, unus ex omnibus, qui tunc florebant, Juris Canonici peritiſſimus. In Latinam verò linguam eundem tranſtulerunt Jo. HADDONUS J. V. D. & Orator univerſitatis Cantabrigienſis, & Jo. CHEEKIUS Eques, eo cum ſucceſſu, ut quoad ſtylum & Latinæ linguæ puritatem exæquaſſe videantur, ipſos Legum Romanorum conditores veteres, quippe qui longe purius ac elegantius leges has eccleſiaſticas promulgarunt, quam unquam quidquam à Juris Canonici Scriptoribus fuerat conſignatum.

RE-

REGII (*Urbani*) *Dialogus von der predigt, die Chriſtus Seinen Jungern auf dem wege gen Emaus gehalten* 1537. 4. Eſt hoc opus ex omnibus *Urbani* ſcriptis pulcerrimum, atque ab Auctore Germanicè ſcriptum, ſed á JOH. FREDERO in Lat. Ling. tranſlatum & editum, ſub. tit. *Prophetiæ Vet. Teſt. de Chriſto* Francof. 1542. fol. In hoc opere V. T. oracula extantiora, uno quaſi faſce comprehenſa, ita illuſtrantur, ut ſi hoc unicum tantummodo reliquiſſet doctrinæ ſuæ ſpecimen URBANUS, dignus tamen foret, ut nulla unquam ætas de ejus laudibus conticeſceret. v. REIMM. Bibl. p. 449. Eſt vero, uti *Urbani* Regii Opera, cum *Latina*, tum verò etiam præcipue *Germanica*, ſunt rariora, ita is tractatus imprimis rariſſimus.

REINII (*Caſſiodori*) Verſio Bibliorum Hiſpanica Baſil. 1570. 4. Eſt longe rariſſima, cf. VOGT. Catal. pag. 113. teſtaturque de ea VICCARSIUS in *Præfat. ad decapla Pſalmorum*, eam ex Hebræo textu, non ex Vulgata, (ſicut Gallica Lovanienſis,) eſſe erutam. Cæterum quæ de hac verſione, variis iisque egregiis annotationibus in loca difficiliora V. & N. T. munita, ſcienda ſunt, hauriri debent ex J. LE LONG

Bi-

Bibliotheca Sacra. part. II. pag. 147. 148. Uti ipſius CASSIODORI DE REYNA vitam tribus verbis in Lexico Majori Jſeliano Baſileenſi Tom. IV. p. 63. videmus deſcribi, quanquam, unde in Lexico Eruditorum *Menckeniano*, illa profluxerit obſervatio, quod Caſſiodorus noſter fuerit Theologus Lutheranus, prorſus ignoremus, cum FECHTIUS in Apparatu ad Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI. Cap. VIII. pag. 305. hunc in modum de Caſſiodoro noſtro pro mirifico Fechtii in noſtros amore ſcribat, *Inter lubricos iſtos angues numerandus ſine dubio foret* Caſſiodorus Reinius, *cujus eſt ad Jo. Marbachium Epiſtola*, (Part. III. Ep. 76. A. 1565. data) *ſi, quod ambiverat, in Eccleſia Scholaque Argentoratenſi publice ei docendi poteſtas fuiſſet facta. Ut enim Calviniani Spiritus indicia paſſim tranſparent!*

Memorabile autem eſt, quod in eodem illo Lexico Iſeliano, de hiſce Bibliis ejus traditur, in Bibliotheca ſcil. Baſileenſi illud reperiri exemplar, quod REINIUS noſter ei donavit, & cui propria manu ſequentia adſcripſit verba: *Caſſiodorus Reinius Hiſpanus Hiſpalenſis, inclytæ hujus Academiæ alumnus, hujus ſacrorum librorum verſionis Hiſpanicæ author, quam per integrum decennium elabo-*

ravit

ravit & auxilio pientissimorum ministrorum hujus Ecclesiæ Basileensis ex decreto prudentissimi Senatus typis ab honesto viro Thoma Guarino cive Basileensi excusam demum emisit in lucem, in perpetuum gratitudinis & observantiæ monumentum hunc librum inclytæ huic Academiæ supplex dicabat A. 1570. *mense Junio.*

Exstat ceteroquin *Cassiodori* nostri, quoque Specimen explicationis in Cap. IV. Matthæi sub. tit. *de periculis piorum ministrorum verbi in tempore cavendis* Francof. 1573. 8. quod in Belgicum idioma translatum Evangeliorum a se editæ harmoniæ subjunxit Vir Rev. *Florentius* DE BRUIN. Ecclesiastes quondam Gorinchemensis doctissimus.

Commemorat quoque in Prolegom. ad Joh. pag. 266. Cl. LAMPIUS *Cassiodori* nostri *Reinii* Evangelium Johannis Francof. 1573. 4. quo Syriaca hujus Evangelii versio exhibeatur Latina à Tremellio confecta, notisque propriis non contemnendis illustretur; Quanquam ibi quoque minus rectè is inter *commentatores Lutheranos* ejus Evangelii recenseatur. Ipse Auctor, observante Lampio, se *Theologiæ Studiosum* nuncupat, & de paupertate sua conqueritur, unde ex opificio victum se quærere profitetur.

RENNEISEN (*Nic.*) Opuscula à Palatinis Theologis, teste *Abr.* SCULTETO in Annalib. Tom. II. p. 102. edita A. 1563. adeò sunt rara, ut ea investigare magna licet adhibita cura nullo modo potuerim; Erat ipse Auctor Benshemensis Palatinus, atque A. 1527. in oppido *Bisschofsheim* præconem Evangelii agebat. Sunt verò hæc ejus scripta multis post obitum Nicolai annis edita, ideo, ut scirent nostri homines, quæ nunc Dei beneficio in Ecclesiis Archi-Palatinis sonat Doctrina, eam jam tum sub initium renascentis Evangelii fuisse doctam, de cœna præsertim sacra. cf. *Scultet.* l. c.

RESCII Ministromachia, in quà Evangelicorum Magistrorum & Ministrorum de Evangelicis Magistris & Ministris mutua judicia, testimonia, convicia, maledicta, iræ, diræ, minæ, furiæ, proscriptiones, condemnationes, execrationes, & omnibus seculis inauditi anethematismi recensentur, per Stanislaum RESCIUM collecta. Colon. 1592. in 8. Rescius iste fuit Polonus, qui obiit a. 1598. Hic in gratiam Pontificiorum virulentissimum hunc exaravit librum ut omnibus, qui ab Ecclesia Romanà secessionem fecerunt, ægre facere posset. Interim raro admodum obvius est. M. H.

RE-

RESENDII (*L. Andr.*) &c. De Antiquitatibus Lusitaniæ libri IV. & de municipii Eborensis Antiquitate per L. Andr. Resendium & Jac. Mendez de Vasconcellos; Rom. 1597. 8. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 158.

REUCHLINI (*Johannis*) sive potius ad Jo. Reuchlinum Epistolæ Clarorum Virorum Latinæ Græcæ & Hebraicæ variis temporibus missæ Tubingæ per Thomam Anselmum Badensem, mense Martio Anno MDXIIII. 4.

Sunt hæ Epistolæ omnium rarissimæ, atque communi consilio à *Phil. Melanchtone* & ejus Præceptore *Johanne Hiltebrant* Suecingensi editæ, eum (uti ex horum præfatione liquet) in finem, ut ipsius *Reuchlini* Laus tanto conspiceretur apud omnes evidentius, *quodque Germaniæ nostræ*, quæ Melanchtonis sunt verba, *clarius contingere nihil possit, quam si authore Joh. Reuchlin, quem* Σωτε τε και Κοσμησε θεα γλαυκωπις Αθηνη, *exterarum gentium monumentis laudetur splendide! hoc namque epistolæ fere omnes argumento notantur* conf. MAI. in annot. ad Vit. Reuchlin. p. 91. 92.

Est mihi ceteroquin rarissimi quoque libelli in causa Reuchliniana ab amico facta copia, cui tit. *Defensio præstantissimi viri Joannis Reuchlin LL. Docto-*

ris

ris á Reverendo patre Georgio BENIGNO *Nazareno Archiepiſcopo Romæ per modum dialogi edita atque ex opinione decem & octo graviſſimorum virorum, ad examinandum oculare Speculum a Sanctiſſ. D. noſtro Leone P. M. deputatorum, inter quos ipſe primus ex ordine votum emiſerat, ſcripta divoque Maximiliano Imp. Auguſto dicata. Colon.* 1517. 4.

Cæterum inter libros rariores, atque præcipua Chalco-graphiæ monumenta vetera recenſeri debent *Joh.* REUCHLINI *Rndimentorum Linguæ Hebraicæ libri tres.* Phortzhemii in ædib. Tho. Anshelmi VI. Kal. April. anno MDVI. fol. editi. De his WOLF. in Biblioth. Hebr. T. II. p. 603. & LOESCHER de Cauſis Linguæ Hebr. p. 156. qui notat, quam multæ in Reuchlini libris hiſce occurrant bellæ obſervationes, ex diligenti Codicis ſacri collatione prognatæ, quas in recentioribus fruſtrà quæſiverimus. Quidquid ſit, hi viri docti fregerunt nucem, cujus jam nucleo, quotquot φιλολογȣμεν, paſcimur. Cæterum, memorabile eſt, quod is liber Latina licet lingua conſcriptus, tamen ad morem orientalium ſit impreſſus, addita illa ſine ullo alio titulo in ultima libri pagina, monela: *Principium libri.* & in prima pagina: *Finis*

Finis Libri: cum hoc adjecto Canone: [illegible]

Non eſt liber legendus hic ceu cæteri
Faciem ſiniſtra dextera dorſum tene
Et de ſiniſtra paginas ad dexteram
Quascunque verte quæ latina videris
Legito latine, hebræa ſi ſint inſita
A dextera legenda ſunt ſiniſtrorſum.

REVII (*Jacobi*) Epiſtolæ Gallicæ ad Scaligerum ſcriptæ A. 1624. hodie raro reperiuntur, inquit Cel. P. BURMANNUS in not. ad Doctorum Virorum Epiſtolas Tom. II. n. CXXV. p. 370. ubi & in ea collectione Reviana multas reperiri JACOBI GILLOTII Senatoris Pariſienſis affirmat.

Eſt verò hic libri titulus: *Epiſtres Françoiſes des Perſonnages Illuſtres & Doctes à Monſr. Joſeph Juſte de la Scala, miſes en lumieres par Jaques de* REVES Harderwyck 1624. 8. Uti ſub hoc titulo (omiſſo collectoris nomine) eundem inter rariores libros recenſet Cl. VOGT. p. 237.

REVELATIONUM. Divinarum in uſum ſeculi noſtri quibusdam factarum Epitome A. 1663. in 8. Occurrunt hic Revelationes Chriſtophori Kotteri, Chriſtinæ Poniatoviæ & Nicolai Drabicii.

Quasdam earum examinavit Cel. Theologus Hermannus WITSIUS in Misc. S. L. I. C. XXIV. §. XXX. seqq. Præclare de iis sensit P. JURIEU in Præfatione Commentarii sui in Apocalypsin. Maximò autem earum amore captus fuit facilesque nimis iis aures præbuit Theologus Crucis idemque Celebris suâ ætate Didacticus J. A. COMENIUS, qui & earum editionem paravit. Sententiam, quam Cel. Joh. Lud. FABRICIUS de visionibus & revelationibus novis à Comenio consultus dixit, exhibet Cel. HEIDEGGERUS in vitâ Fabritii. p. 64. 65. quibus ipse tandem Heideggerus hæc subjungit; „ Memini Theologum Helvetium „ sic sententiam suam explicare, quod „ cum tot ærumnis atque calamitatibus „ genus mortalium obnoxium sit, nec „ Morpheo, somni ministro, suavia mul- „ ta, per quæ miseri levantur, & velut „ adhibitis solatiis non parum demulcen- „ tur & sustentantur, suggerenti indig- „ nandum, nec miseris, qui talibus ma- „ lagmatis reficiuntur, consolatio ejus- „ modi invidenda sit. „ Hæc ille

Cæterum de Comenio ejusque in fanaticorum somnia propensione omnino consulendus est P. BÆLIUS in dict. Hist. sub hac voce. M. H.

RHE-

RHETORES Græci veteres, *Aphthonius*, *Hermogenes*, *Sopater*, *Demetrius Phalereus* &c. Gr. Venet. ap Aldum 1508. fol. L. rariſſimus.

RHODII (*Ambroſii*) *Dialogus de transmigratione animarum Pythagorica*, quomodo eadem concipi & defendi poſſit. Hafniæ 1638. 8. Eſſe hunc libellum inter raro obvios numerandum, obſervavit Celeb. Gottingenſium Polyhiſtor atque Theologus C. A. HEUMANNUS in Actis Philoſoph. Part. XI. art. V. p. 786. ſeqq. qui & tribus verbis ejus hypotheſin indicat.

RHODOMANNI (*Laurentii*) *Vita Lutheri Græco carmine* deſcripta & Latine reddita Urſellis 1579. 8. Libellus infrequens adpellatur Cl. REIMMANNO in Catal. Biblioth. pag. 164.

RHONÆI *Idea reformandi Antichriſti* fol. appellatur opus rariſſimum Doctiſſimo Giffenio Theologo dum vivebat Dordraceno in Ep. ad Jo. Braunium.

RIBEIRÆ (*Emanuelis Soarezæ*) Obſervationes Juris Lugd. 1562. 8. Lib. rariſſ. in Bibl. Albin. p. 203.

RICHERIUS (*Chriſt.*) de rebus Turcarum. apud Steph. 1540. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 65. & p. 87.

RICHER (*Joh.*) *Le Mercure Historiqu* Tomis XXV. Est hæc collectio rerum Gallicanarum ad Ludovici XIII. regnum spectantium utilissima ac præstantissima, studio Johannis Richer typographi & bibliopolæ collecta ab A 1612. usque ad A. 1644. Posteriore autem tomi licet primis præstantia non sint æquales, pro rarioribus tamen habentur v. STRUV. Biblioth. Historic T. I. p. 410. & VOGT. Catalog. p 392. itemque LE LONG in Biblioth Historic. Galliæ n. 9119.

RICHTERI (*Georgii*) Ecclesiastis Gorlicensis, *Judicia Scholæ Melanchthonis* est liber infrequens teste Cl. BRUCKERO in Hist. Crit. Philos. Tom IV. P. I. p. 276. Integer titulus hic est „Judicia florentis scholæ Melanchthoni „de lectione bonorum auctorum, in om„ni genere disciplinarum, in quibus in„finitæ regulæ studiorum adolescentia „continentur; Collecta ex tomis, inti„mationum, declamationum, epistola„rum & præfationum Philippicarum & „ex aliis Philiphilipporum didacticis & „orthodoxis scriptis in usum juventuti „Scholasticæ „ Witeb. 1592. Isleb 1597. quæ editio titulum habet: *Crise Melanchthonianæ*. conf. STRUV. Introd. in Hist. liter. p. 397. WOLF

Præ-

Præfat. ad Casauboniana p. 10. TEISSIER Elog. T. II. p. 50.

RICOLDI contra Sectam Mahumeticam libellus cujusdam diu captivi de Turcorum vita & moribus liber. De vita & moribus Judæorum libellus Parif. 1511. 4. Liber suprà fidem rarus & quem fermè nullibi reperias dicitur in Biblioth. Sarraz. p. 33.

RITTERI (*Joh. Balthas.*) Ecclesiastis Francofurtani ad Mœnum *Historia Reformationis Francofurtanæ* A. 1726. 4. edita, jam ante hos decem annos inter rariores connumerabatur libros, ut jam tum Celeb. WOLFIUS Hamburgensis Theologus, epistola ad me data referret, „ se ne in ipsa quidem Francofurtana urbe, eam investigare potuisse. „ Titulus ita se habet: *Evangelisches Denkmahl der Stadt Franckfurth am Mayn, oder ausführlicher bericht von der im XVI. Jahr-hundert ergangenen Kirchen-Reformation* &c. Franckfurt. 1726. 4. Est verò liber planè eximius atque ad pernoscendam Reformationis historiam longè utilissimus.

RIVIUS (*Joh.*) Atendoriensis, Libros III. conscripsit jam in Reformationis Seculo *de admirabili consilio Dei in celando mysterio redemtionis humanæ*, quos laudat *Andr.* HYPERIUS

in Comment. in Epist. ad Hebr. c. XI. 35. dicendo: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Rivius Atendoriensis ostendit, paria miracula etiam nunc contigisse in lib. de admirabili consilio Dei.* De Auctore v. PANTALEON. & *Relation Innoc.* A. 1724. p. 685. sqq. Sunt enim hi libri hodie rarissimi, quod & de Operibus ejus Theologicis Basil. 1562. fol. collectis jam ex Relationibus Innocuis observavit Cl. VOGTIUS p. 500.

RUFI (*Christophori*) Antexegemata. Patavii 1559. 8. Lib. rarus in Bibl. Alb. p. 179.

RUS (*Nicolai*) *de triplici funiculo*, scriptum satis prolixum lingua Saxonica exaratum, & seculo jam XV. editum, esse rarissimum, suo jam tempore testabatur FLACIUS in Catal. test. veritatis, unde & pollicebatur se curaturum aliquando, ut illud Misnica lingua excudatur, quod tamen factum non esse notat LOESCHERUS in Actis & Docum. ad Hist. Ref. T. I. p. 91. cf. CHYTRÆUS in Saxonia.

Est autem expositio *Symboli*, *Decalogi*, & *Dominicæ Orationis*, in qua multa contra Papam disputat, præcipue autem hæc: *Indulgentias esse meram deceptionem piorum: veras autem con-*

contingere à solo Deo gratis propter Christum omnibus vere pœnitentibus, Papam non eam Potestatem habere, quam ei multi tribuant, nec audiendum nisi recta præcipiat. Sanctorum ossa non esse adoranda, nec sanctos invocandos, spirituales debere dare censum & subesse magistratibus, reprehendit quoque *traditiones humanas, varios abusus & superstitiones.* Erat ipse Nic. Rus, Presbyter & Theologiæ Baccalaureus in urbe Rostochiensi variosque ibi & Auditores & Conventus habebat, atque à Waldensium in Bohemia Pastoribus interdum visitabatur, à quorum consuetudine novos Spiritus sumebat: Donec tandem satellitibus Papæ insectantibus Livoniam petere coactus, diem ibi postremum obiit. vid. MORNÆ: Myster, Iniquit. p. 1337. edit. Salmur. in 8.

SADI *Rosarium Persicum* Amstelod. 1651. Persicè & Latinè fol. Est liber rarissimus, cujus nobis quandam subministrat ideam Cl. BRUCKERUS in Histor. Crit. Philos. Tom. III. p. 208. sq. Fuit Auctor, *Scheich Muslah Eddin Sadi*, Schirasensis Persa, Seculo XIII. medio qui floruit, ingeniumque non studiis tantum elegantioribus sed & Philosophiæ addictum prodidit hoc ipso

libro, quo elegantissimum *Ethicæ Orientalis* compendium continetur, poëticè edito. Idem verò etiam liber deinceps omisso textu Persico ex sola versione Latina prodiit Amstolod. 1655. 12. atque summum virorum Doctorum applausum est consecutus.

SALABERTI (*Joh.*) *Philosophia Nominalium vindicata* Paris 1651. 8. Tantam hujus libri raritatem esse observat Cl. BRUCKERUS in Histor. Crit Philos. Tom. III. p. 738. & p. 904. ut summis in Gallia curis à præstantissimo *Mat. Veyss. de la Croze* quæsitus inveniri tamen non potuerit. cf. BAYLE Tom. I. artic. Abelard.

SAPCOTUS (*Hier*) de verborum & rerum significatione. Venet. 1579. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 95.

+ SARASA (*Alph. Ant.*) Jesuitæ Hispani *Ars semper gaudendi*, demonstrata ex sola consideratione divinæ providentiæ, & per adventales conciones exposita. 1664. 8. Est liber rarissimus, quemque ob singularem ejus præstantiam plurimi semper fecit Ampliss. B. H. BROCKES, Senator Hamburgensis, ille Poëtarum nostri temporis Germanorum Princeps, quem hoc eodem anno, posteaquam cygneam vocem sub anni principium emisisset, suasque *de arte moriendi* medita-

ditationes ad hujus libelli formam concepiſſet, d. XVI. Januarii ad beatas ſedes migraſſe, tulit nuncius.

SARDI (*Caſp*) Ferrarienſis Epiſtolæ, & Ejusd. de triplici Philoſophia commentariolus Florentiæ. 1549. 8. Lib. rariſſ. in Bibl. Albin. p. 180.

SARPII (*P. Pauli*) *Diſcurſus de Origine, forma, legibus & uſu inquiſitionis in civitate & Dominio Veneto.* 1630. 4. Lingua Italica conſcriptum eſt rariſſimum hoc P. SARPII illuſtris ſui temporis Scriptoris opus, quod a Cl. STRUVIO Bibl. Antiq. 1706. p. 28. ſq. recenſetur, qui & quam ſcriptum hoc integrum, novam editionem & verſionem Latinam mereatur, ex voto & deſiderio aliquot virorum eruditorum, qui illud primum viderunt, obſervat. Enimverò in Linguam Latinam hanc Inquiſitionis Hiſtoriam à P. Paulo Veneto Italice conſcriptam eſſe converſam ignoraſſe videtur Cl. STRUVIUS cum tamen ab ANDREA COLVIO V. D. M. Dordraceno A. 1651. id factum ſit, uti ea Roterod. eod. anno 12. eſt impreſſa, una cum *Confeſſione fidei ipſius Pauli*, ex qua, qui ſenſus ejus & quæ mens fuerit, cognoſcitur, in Sacroſanctæ fidei negotio & profeſſione; Titulus libro præfixus

ita se habet: *Historia inquisitionis, speciatim Venetæ, & quibus de causis Sereniss. Resp. Veneta diversa decreta sanxerit circà hanc materiam, ad Sereniss. Ducem Venetiarum* Leonardum Donatum. *a*) Cæterum & ex Vita G. BEDELLI à G. BURNETO conscripta discimus, jam ab hoc ipso *Bedello* Latinam hujus libri Versionem adornatam & dedicatam esse Jacobo I. Regi Angliæ.

SARPII (*Pauli*) *Epistolæ* ab A. 1607-1611. conscriptæ, duabus licet vicibus sint editæ, tamen ita raro sunt obviæ, ut etiam Doctissimos quosque & literarum studiosissimos lateant: Edidit eas cum elegantissima præfatione *Eduardus Browne*, Scholæ Sundrigiensis in Cantonia moderator, Londini 1693. 8. quamvis antea jam tum ab *Andr. Colvio* Batavo Dordraceno, ficto personæ & loci nomine Veronæ 1672. 12. fuerint editæ: vid. M. CRUSII singular. Plessiac. pag. 167. in notis. Hugo GROTIUS in Epistolis ejus commemorat inprimis Sarpii nostri ad J. *Gillotum* Parisiensem Senatorem Epistolas, in quas sed manu scriptas se tum incidisse scribebat A. 1636. v. *Grot.* Ep. fol. 226.

SAS-

a) De hoc libello eximium est H. Grotii Judicium v. Epist. fol. 133.

SASKERIDIS (*Joh.*) Opuſcula omnia rara. Inter quæ & Poëma eſt Heroicum: *De Agni ſeu Chriſti victoria contra Gogum & Magogum Libri quatuor.* Hafniæ 1577. 8. quod Cl. GRAMMIUS ſe poſſidere affirmat v. Bibl. raiſonn. 1741. I. p. 266.

SCARDEONII (*Bernardini*) *De Antiquitate Urbis Patavii & claris civibus Patavinis libri tres. Ejusdem appendix de ſepulcris inſignibus exterorum, Patavii jacentium.* Baſil. apud Nicolaum Epiſcopium Juniorem 1560. fol. conſtat 5. Alphabethis. Titulum hujus libri nec eum tamen plenum adduxit p. 523. Doctiſſ. *Vogtius* Uberiorem vero rariſſimi hujus libri conſpectum qui deſiderat, is Cl. STRUVII Bibliothecam antiquam anni 1705. adeat pag. 153-168. cujus en tibi de hoc volumine Judicium: *Liber ſane multa continet utilia, non ad hiſtoriam ſolum ſed etiam rem litterariam. Et licet in vitis eruditorum brevior ſit, ideo tamen æſtimandus, quod pleraque eorum ſcripta allegaverit, inter quæ plura reperiuntur in noſtra Germania plane incognita.* Appendix vero epitaphia in ſepulcris inſignium exterorum reperta continet.

SCAVENII (*Petri*) *Deſignatio librorum rariorum in qualibet facult. Materia &* *lin-*

lingua. Hafn. 1665. 4. Est ea designatio ipsa quoque rara v. Bibl. Misc. Hamb. T. III. p. 816.

SCHEDELL (*Hartmanni*) *Liber Chronicarum* ab initio mundi ad annum 1443. cum supplemento ex Æn. Sylvio, figuris & imaginibus M. Wolgemut. & W. Pleydenwurff illustratus Norimb. 1493. fol. liber rarus & nitidus. in Bibl. *Boscheidenii* fol. n. 624. it in Bibl. Albini. fol. n. 268. conf. quæ de eo notata leguntur in *Memorabilibus Bibliothecæ Dresdensis* Collect. V. n. 416. p. 376.

SCHEGKII (*Jacobi*) Professoris & Philosophi Tubingensis *Anti-Simonius*, in quo *plures quam trecenti errores Simonii refelluntur* Tubingæ 1573. 4. v. Cl. BRUKER. Histor. Crit. Philos. T. IV. P. I. p. 290. qui hunc & similes libellos non lectos evanuisse observat, sicque propter neglectum potius quam pretium pro raris reputari.

SCHLUSSELBURGII (*Conradi*) S. S. Th. D. & P. ac in Ecclesia & Gymnasio Stralesundensi in Pomerania, superintendentis, *Hæreticorum Catalogus, tredecim libris comprehensus* Francof. 1597. 8. editus, est hodie inter libros raro obvios connumerandus. Quod ad Auctorem, fuit is quondam ingenii turbu-

lenti

lenti homo, ex Academia Witebergensi A. 1568. ob *Eutychetis* potissimum errores, & sycophantias incredibiles, relegatus, de quo pagellæ extant & programma olim Witebergæ à Magistratu affictum; Unde deinceps vindictæ cupidissimus is in ejus relegationis auctores evomuit, quidquid splendida bilis suggereret. Cæterum, Opus hoc *tredecim* constat libris sive tomis, quorum primus anno 1597. ultimus 1599. Francofurti prodierunt. Et in *primo* quidem cum Antitrinitariis illi res est. In *secundo* de *Manichæis*, quos vocat *recentioribus* agit *Math. Flacium* Illyricum, ejusque Sectatores hoc nomine designans, quippe quibus Manichæismum, ob dogma de peccato originis, quod sit hominis substantia, exprobratum constat. *Tertius Calvinianis* est oppositus. In quarto Antinomorum veterum ac recentiorum, quorum auctor *Johannes Agricola* (cujus & alias nomen haud est ignotum) fuit, argumenta repetit ac refutat. In *quinto*, *Synergistas*, seu eos, qui docebant hominem in sui conversione aliquid cooperari posse, sistit, eorumque rationes profligat. *Osiandristis* destinatus est liber *sextus* & *septimus Majoristis*. In *Octavo* Pontificiorum, speciatim *Jesuitarum* theologiam sub ex-

examen revocat; *Stancaristarum* errores enarrat & rejicit libro *nono*, & *Schwenkfeldianorum*, quos Stenkfeldistas nominat, libro *decimo*. In *undecimo* cum Mich. *Serveto*, & sectatoribus ejus congreditur, in *duodecimo* cum *Anabaptistis*, & denique in *decimo tertio* cum *Adiaphoristis*: Cæterum in omnibus hisce eundem sæpenumero modum excessisse, sæpe etiam consequentias nexuisse duriores, ipsi non diffitentur Lutheranæ Ecclesiæ Doctores cordatiores: Quomodo *Melanchthonem* sit calumniatus, *Flacio* impegerit Manichæismum, *Heshusium* Regiomonte expulerit, ipse vero *Regiomonte* iterum fuerit expulsus, porrò *Wismariam* secesserit atque tandem *Stralsundiæ* Pastoratum primarium fuerit adeptus, FREHERUS & WITTENIUS enarrant in quem campum nos non immittimus. Est is mortuus A. 1619.

— — — Ejus *Epistolæ*, vel potius, Theologorum ad ipsum directæ, atque Rostochii 1624. 8. editæ non minus sunt rarissimæ, atque propter Historiam eorum temporum valde litigiosorum cognoscendam apprime utiles. Integer titulus ita se habet. Conr. SCHLUSSELBURGII *Theologi Lutherani, uti celeberrimi, ita & constan-*

ſtantiſſimi, & veritatis cœleſtis propugnatoris acerrimi, ſtudium Eccleſiæ Filii Dei inſerviendi poſthumum. *Hoc eſt: Epiſtolarum clariſſimorum quorundam Theologorum, ut & aliorum virorum Doctiſſimorum, rerum Theologicarum ſcitu maxime neceſſariarum copia: Quæſtionum item practicarum plurimarum deciſionibus ſolidis, aliisque quamplurimis de quorum cognitione benevolus Lector haud dubie ſibi gratulabitur, refertiſſimarum, volumen. Ab ipſo D. Schluſſelburgio dum viveret, ſingulari ſtudio collectum, nunc verò, eo pie in Domino mortuo, ad multorum bonorum vota & deſideria, in inſigne Eccleſiæ emolumentum, publici juris factum.* Roſtoch 1624. 8. Sunt verò Epiſtolographorum nomina hæc: *Jac.* Andreæ, *Jo.* Brentius, *Andr.* Celichius, *Mart.* Chemnitius, *Dav.* Chytræus, *Paul.* Eberus, *Baſil.* Faber, *Valer* Fidler, *Chriſtoph.* Fiſerus, *Nicol.* Gallus, *Tilem.* Heshuſius, *Leonh.* Hutterus, *Timoth.* Kirchnerus, *Bartholom.* Klingius, *Polycarp.* Leiſerus, *Mart.* Lutherus, *Georg.* Major, *Luc.* Martini, *Phil.* Melanchthon, *Hieron.* Mencelius, *Bened.* Morgenſtern, *Georg.* Mylius, *Phil.* Nicolai, *Sim.* Pauli, *Chriſtoph.* Pelargus, *Andr.* Puchenius, *Jac.* Reneccius, *Ambroſ.* Reudenius, *Bartho-*

tholom. Rosinus, *Frid.* Rungius, *Zach.* Schilter, *Nicol.* Selneccerus, *Cyriac.* Spangenberg, *Andr.* Theobaldus, *Georg.* Weinrichius, *Joach.* Westphalus, *Jo.* Wigandus, *Bartholom.* Wolfhart.

SCHURMANNIÆ (*A. Mariæ*) Εὐκληρίας continuatio est perrara, teste REIMMANNO in Catalog. Biblioth. Theol. p. 427.

SCHWEBELII (*Johannis*) Reformatoris Bipontini *Epistolæ* quod longè sint rarissimæ jam à Cl. VOGTIO. p. 237. est annotatum: Intereà rectè observavit Illustr. SECKENDORFIUS Histor. Luth. Lib. I. §. LXXXII. fol. 131. cumprimis ejus scripta *Germanica* hodie rarissimè inveniri, quæ sint excusa forma octava Biponti 1605. atque his etiam insertas legi varias *Melanchthonis*, *Buceri* & aliorum, ad Schwebelium epistolas. De ipso SCHWEBELIO egimus in Introduct. ad *Histor. Reformationis* T. I. pag. 166. 261. & T. II. pag. 100.

SCIOPPII (*Gasp.*) Alexipharmacum Regium felli draconum & veneno aspidum sub Philippi Mornæi de Plessis nuperà Papatus Historia abdito oppositum, & Serenis. D. JACOBO M. Brit Regi strenæ Januariæ loco missum muneri. Mogunt. 1612. in 4.

Hoc

Hoc ſcriptum inter ea, quibus Grammaticorum iſte Coryphæus, ſed qui calamum felle tinctum habuit, maledicentiam ipſe ſuam ſuperavit, raritate non eſt poſtremum. M. H.

SCRIPTORIS (*Pauli*) Wylenſis *explanatio in libros ſententiarum Scoti* Tubingæ A. MCCCC XVIII. Erat P. SCRIPTOR qui Wylæ Suevorum natus eſt, inter Teſtes veritatis, qui ante ſacrorum vixere reformationem, cujus ob *negatam tranſſubſtantiationem* fata & exilium ſunt nota, & a Cel. PFAFFIO referuntur in diſſ. de Conſecr. Vet. euchariſt. pag. 457. 458. add. *Mart. Crus.* Annal. Suevic. P. III. L. IX. c. 8. fol. 509. 510. Habetur verò is libellus inter rariores. Conf. M. ADAMI in vita Pellicani fol. 128. ſeqq.

SENA (*Petri la*) *Cleombrotus*, ſive de iis, qui in aquis pereunt, diſſertatio philologica. Rom. 1637. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 171.

SENARCLÆI (*Claudii*) Hiſtoria *Joh. Diazii* 1546. 8. Libellum hunc, tempore Illuſtris SECKENDORFII, ob ſummam raritatem jam inter deperditos haberi poſſe, teſtatur is *in Hiſtor. Lutheraniſm.* L. III Sect. 37. fol. 653. qui & quæ ad hanc Hiſtoriam adtinent exponit, atque ipſius DIAZII Confeſſio-

nem fidei huic libello omnium rarissimo adnexam suo commentario inseruit fol. 657. sq.

SEVERINI *Historia Ecclesiastica* Hafniæ 1579. 4. Liber rarus dicitur in Bibl. Boscheid. n. 323.

SKENÆI (*Joh.*) *Scotiæ veteres leges & Constitutiones ex archivis publicis & antiquis Mss. Collectæ, recognitæ, & notis juris civilis, canonici, & Nordmannici auctoritate confirmatis illustratæ.* Edimburgi 1609. fol. diu multumque se hunc quæsivisse librum, Juris Germanici & Saxonici præsertim ingentem Thesaurum, testatur J. P. LUDEWIG, Ictus dum vivebat Halensis.

da SILVA (*Samuelis*) liber *pro immortalitate animæ* rarior. v. Thes. Epist. *Croz.* T. II. p. 134.

SILVAGII (*Math.*) Opus de *tribus perfectionibus divinis Philos. Sanctorum*; partibus mundi, præsertim *Sicilia* & civitate *Cathaniæ* & *Syracusarum*, excellentia *Romæ* & *Hierusalem* aliisque notatu dignissimis. Venet. 1547. 8. Lib. rariss. Bibl. Albin. p. 158.

SIMON Lettres choisies de Monf. *Simon* Tom. IV. Voll. II. Amst. 1730. Curiosus iste liber in quo multa de Eruditis eorumque scriptis anecdota occurrunt, & quidem ita, ut audacissimus hic Criticus

genium

genium ſuum accurate denudaverit, erat Bibliotheca Lampiana teſte p. 170. rarus. Hanc autem ejus raritatem ceſſare fecit nova hæc, quam dixi editio. Mirabantur olim multi Eruditi, cum Ezechiele SPANHEMIO & MAJO Patre, cùr vir iſte in hiſtorià ſua Critica ne minimam quidem mentionem fecerit Joh. COCCEJI. Rationem hanc ipſe dat harum Epiſt. T. II. p. 318. dicens: „Mr. Spanheim s' etonne, qu'on „n'ait point parle de Coccejus Proteſtant celebre de nos jours, ſavant en „Hebreu & dans les Rabins, Il eſt vrai, „que cet homme meritoit bien une place „honorable dans ma Critique; mais quelque recherche qu'en pût faire alors de „ſes livres dans Paris on ne trouva, que „ſon Dietionnaire. Il fait à la verite paroitre dans ſes commentaires, qu'il s'etoit appliqué à l'etude de la Langue „Hebraïque; mais il eſt beaucoup plus „ſubtil que ſolide dans ſes jugemens. Il „s'eſt formé de certains principes, ſur „lesquels il ſe regle presque toûjours, „& comme il s'etoit propoſe de combattre Grotius, qui trouve rarement le „Meſſie dans l'Eriture, luy au contraire „le rencontre par tout.„ Hactenus ille.

Unum eſt quod addam, quod Simonius ſi quisquam illuſtrem locum inter

Pſeudonymos mereatur. Nomina illa, ſub quorum ſipario deliteſcere voluit, hæc ſunt: Petrus Ambrunus; Prior Bollevillanus; Hieronymus le Camus Hieronymus à Coſte; Hieronymus à S. Fide; Richardus de l'Iſle; Dominus de Moni? Origenes Adamantius; Jeam Reuclin; Simeon Recarede; Dominus de Simonville. M. H.

SIMONIDIS (*Simonis*) Libri ſub finem ſeculi XVI. editi tantum non penitus evanuerunt, Fuit is qui in Academia Lipſienſi poſt Joachimum Camerarium præclarè de Philoſophia Peripatetica meruit; de Fatis ejus quædam à BAYLIO ſunt obſervata, ſed majora & accuratiora à Cel. BRUCKERO in Hiſtor. Crit. Philoſ. Tom. IV. P. I. pag. 286. & ſqq. Interceſſit ipſi cum Jacobo Schegkio Philoſopho Tubingenſi lis, variis ſcriptis reciprocata, ſed quæ ipſa etiam ſcripta, quod variis tricis philoſophicis eſſent referta, non lecta perierunt, ſicque raritatis notam habent. De libello exiguo viginti tantum paginarum adverſus Simonidem 1588. edito ſub. tit. *Simonis Simonii Lucenſis, primum Romani, tum Calviniani deinde Lutherani, denuò Romani, ſemper autem athei ſumma religio, authore* D. M. S. P. inter rariores rariſſimo, & cujus jam

Cl.

Cl. Vogtius p. 538. sq. mentionem injecit, latius egerunt Aug. BAYERUS in memor. libr. rarior & BRUCKERUS l. c. p. 290. 291.

Cæterùm videtur in eo, Vir præclarus sphalma quoddam admisisse, quod p. 288. judicat eum adhuc seculo XVII. ineunte non sine auctoritate inter Polonos vixisse, ibique edidisse librum qui Zamoscii A. 1603. hoc rubro prodiit: *Simonis* SIMONIDIS *imagines diætæ Zamoscianæ*, teste Catal. Bibl. Aug. Ehingeriano. p. 852. Est enim is Simonides à Philosopho nostro planè diversus, Leopoli in Russia Rubra quæ Polonis paret, natus, adolescens in Acad. Cracoviensi eruditus, atque deinceps in Italiam profectus, Poëseos & literarum elegantiorum studiosissimus, cujus rei fidem faciunt scripta, varia de re, varioque carminum genere ab ipso conscripta, quæ à STAROVOLSCIO recensentur in Hecatontade Scriptor. Polonicor. n. 99. p. 114. 115. Enimverò hæc sunt illa *Simonis* SIMONIDÆ *Poëmata aurea* (uti habet titulus) *cum antiquitate comparanda, edita ex Bibliotheca Joachimi Morsii.* Accedit vita & obitus Magni Jo. Zamoscii, patroni Simonidis. Lugd. Batav. typis Jacobi Marci. 1619. 8. de quorum Poëma-

tum raritate STRUVIUS in Bibl. Antiq. 1706. p. 353.

SIMPLICII Bellum civile Helveticum nuperrimum Peregrini Simplicii Amerini A. 1657. in 12mo.

Hic libellus admodum rarus authorem habet Waltherum à SCHNORFF. qui ſtilum TITI LIVII feliciter eſt imitatus. vid. Lexicon Iſelianum Baſil. ſub. tit. S.

De eô ita judicat Gryphius in App. de Scriptoribus Sec. XVII. illuſtrantibus p. 41. Peregrinus Simplicius Amerinus, ficti nominis ſed cordatus ſcriptor Bellum civile Helveticum Sermone Latino exaravit, idque ſtilo ſatis nitido, nec, quamvis à Pontificiorum ſtet partibus, odio nimium dat. M. H.

SIXTI V. Papæ, *literæ de rebus Gallicis* Lat. Gall. 1590. 8. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 172.

SNOJUS (*Reynerius*) in Pſalmos admodum rarus eſt. Fuit Belga, qui ante ſesquiſeculum, & quod excurrit, floruit. Hic Salomone TILLIO arbitro plurimos Pſalmos ad Chriſtum & Eccleſiam retulit, ſtrictasque notas ſumſit ex Patribus. Specimen harum notarum edidit Cl. D'OUTREIN in Explicatione Pſ. CVII. qui Commentario ejus ad Coloſſenſes ſubjungitur. M. H.

SO-

SOCINI (*Fausti*) Opera omnia VI. Volum. Racov. 1612. 8. Editio rarissima.

SOCCI fratris ordinis Cistercienſium *Sermones de Sanctis:* Hos ſub ipſis typographiæ incunabulis excuſos eſſe ſuſpicatur REIMMAN in Cat. Bibl. Theol. p. 148. Uti operis tantam eſſe dicit raritatem, ut ex millibus vix unus ſit per cujus aures nomen auctoris unquam ierit.

SONERI (*Ernesti*) *Catechismus*, in quo totius Catecheſeos Racovienſis principia & lineamenta veluti ponuntur, commemoratur Cl. ZELTNERO in *Hiſt. Crypto-Socin Altorfini* p. 46. 47. ubi inter alia de eo: *Qui cum rara conſpiciàtur, plagulisque, mediocri charactere ſcriptis, pæne viginti contineatur, propter maximam perſpicuitatem, dignus eſſet publica luce, & à nobis quoque attextus fuiſſet huic hiſtoriæ, niſi peculiari refutatione ne cuiquam fraudi ſit, opus eſſet adjicienda.* Eundem hunc catechismum albis corvis rariorem eſſe teſtatur Cl. BRUCKERUS Hiſtor. Philoſ. T. IV. P. I. p. 316.

SOPINGII (*Godofredi*) Apologetica Reſponſio ad libellum Anonymum, qui vocatur Bona Fides Sibrandi Lubberti & ad Hugonis Grotii pietatem, cui

annexa eſt ipſa bona fides Anonymi & Vita Auctoris. Franicæ 1616. in 4.

Cum vità iſta conferri debet Cel. HASÆI brevis de G. Sopingio relatio, ab Eilh. Folk. Harckenrothio ei ſuppeditata B. Brem. T. VIII. Faſc. IV. num. 9.

Cl. quem dixi Haſæus non dixiſſet, quod, *quis fuerit Sopingius*, *ignoretur ferè*, ſi vitam ejus modo à me citatam, tum, cum iſta ſcriberet, oculis ſuis uſurpaſſet, nam illum librum poſſediſſe, patet ex ejus catalogò p. 65.

Auctor autem vitæ Sopingianæ eſt Sibrandus SICCAMA, qui eam in Epiſtola quadam 14. pagg. in 4. conſtante & ad Tacitum ab Aiſmâ exaratà exhibuit. M. H.

SPANHEMII (*Ezechielis*) Scripta omnia uti ſunt eruditiſſima, ita eorum quædam ita raro ſunt obvia, ut non niſi cariſſimo queant comparari pretio, inter quæ & ejus ſunt diſcurſus, *de præſepi*, itemque *de cruce Salvatoris* noſtri & *de deſcenſu ſpiritus ſancti in Apoſtolos*, lingua Gallica conſcripti ſub. tit. *Discours ſur la Creche de notre Seigneur* it. *Discours ſur la Croix de N. S.* & *Discours ſur la deſcente du S. Eſprit ſur les Apotres*. Prior libellus cum olim in Belgio fuiſſet excuſus, tertia vice Berolini recu-

recusus prodiit A. 1695. 12. Posteriores autem quantum scimus, inde à prima editione prelo non fuerunt subjectæ.

SPANGENBERGII Epistolæ, Genuinus rarissimi libelli titulus hic est: *Epistolæ aliquot consolatoriæ, piæ & utiles, maxime iis, qui propter confessionem veritatis persecutioues patiuntur. Cum præfatione M. Cyriaci Spangenbergii ad Opt. Maximumque Imperatorem Maximilianum II. Argentorati excudebat Samuel Emmel anno domini* 1565. 8. Est hæc collectio epistolarum LXIX. ab ann. 1554. ad 1557. scriptarum, ad quosdam in Bohemia Verbi divini ministros, qui propter Evangelium persecutiones patiebantur: Et quanquam ipse editor fateatur has equidem epistolas styli nitore epistolis *Bembi*, *Sadoleti*, *Longolii* &c. esse inferiores, vere tamen addit: *Plus pietatis, consolationis veræ & doctrinæ christianæ ex una harum epistolarum peti posse, quam ex illarum centum.* Conf. RAUPACH. Austri. Evangel. Tom. II. p. 163.

SPIERÆ (*Francisci*) *Historia* cujus auctorem esse Math. GRIBALDUM, Jure consultum quidam referunt, inter libros rariores connumeratur. Est ea à P. P. VERGERIO concinnata, ex variis Epistolis *Cœlii Secundi Curionis*, *Hen-*

rici Scoti & aliorum, atque prodiit Tubingæ 1558. 8. sub. tit. *Historia Francisci Spieræ, qui, quod susceptam semel Evangelicæ veritatis professionem abnegasset, damnassetque in horrendam incidit desperationem, quod exemplum & gravissimam Dei monitionem prodest celebrare & sæpius ingerere* &c. Est vero etiam alia hujus Historiæ Editio, in Biblioth. Guelpherbytana, sub hoc titulo; *Fr. Spieræ . . . Historia à quatuor summis viris summa fide conscripta: cum clariss. virorum præfationibus Cælii Secundi Curionis,* & *Jo. Calvini* & *Petri Pauli Vergerii apologia, in quibus multa hoc tempore scitu digna gravissime tractantur Accessit quoque* Martini Borrhai *de usu, quem Spieræ tum exemplum tum doctrina afferat, judicium* A. 1550. 8. vid. SALIG Histor. Augustan. Confess. Tom. II. p. 1158. Atque hæc eadem est editio, quam ex liberali donatione Viri Amplissimi *Joh. Rudolphi* ISELII Jure consulti Basileensis, ipse possideo.

STENII (*Simonii*) *Oratio Parentalis Casp. Peuceri* Servestæ 1603. 4. Rarioris hujus monumenti historici notitiam debemus Cel. STRUVIO in Bibl. Antiq. A. 1706. p. 189. & seqq.

STEPHANI (*Henrici*) Epistola de suæ Typographiæ statu &c. cum indice libro-

brorum qui ex ejusdem H. Steph. officina prodierunt. 1569. apud eund. H. Stephanun 8. Liber rarus.

STEPHANI (*Henrici*) *Proodopæa ad Senecæ lectionem*; & Ejusdem *Epistolæ* de eadem Materia. apud eund. 1586. 8. Lib. rarissimus in Bibl. Albin. p. 200.

— — De *Aristotelicæ Ethices* ab historica & poëtica Ethice differentia; & *Musæ carmina de virtutibus*. P. Lib. rariss. in Bibl. Alb. p. 208.

STEVARTII (*Petri*) Insignes Auctores tam Græci quam Latini. Ingolstad. 1616. 4. Lib. rariss. Bibl. Albin. p. 70.

STROZZE (*Frid.*) *De Chaldæorum dogmatibus* dissertatio recusa Colon. 1617. 8. Versatur hic libellus totus in Nestorianorum Orientalium dogmatis, evolvendis, recitandis, examinandis & dijudicandis, ut *de hodiernorum Nestorianorum in Oriente dogmatis*, potius inscribi posset. v. Reimm. Bibl. p. 816.

STROZZÆ (*Petri*) Liber de ortu & progressu religionis catholicæ. itid. rarus. v. Thes. Epistol. Croz. T. II. p. 123. 127.

STRYPE (*Joh.*) Memorabilia *Historiæ Reformationis Ecclesiasticæ*, lingua Anglicana conscripta propter exemplarium impressorum paucitatem tribus voluminibus Londini 1733. sq. fol. edita, sunt rariſ-

rarissima. Est Titulus. *Ecclesiastical Memorials Relating to the Reformation of Religion &c. under King Henry VIII. King Edward VI. and Queen Mary the First. in Three volumes in folio* &c. vid. *Biblioth. Brem.* Tom. V. p. 163.

STUCKII (*Jo. Gulielmi*) *Carolus Magnus redivivus*, h. e. *Caroli M. Germanorum, Gallorum Italorum & aliarum Gentium Monarchæ potentissimi cum Henrico M. Gallorum & Navarrorum Rege florentissimo comparatio: utriusque Regis Historiam breviter complectens, quam Regum & Principum Speculum possis appellare* Tiguri 1592. 8. v. STRUV. Biblioth. Antiq. 1705. d. 512.

STURMIANI *Manes, sive Epicedia scripta in obitum summi viri* JOHANNIS STURMII, *una cum Parentaliis, eidem memoriæ & gratitudinis ergo factis à diversis Amicis atque discipulis* Argentor 1590. 8. Sunt hæc Parentalia tanto rariora, quanto majora erant ipsius JOHANNIS STURMII in rem omnem Litterariam cum primis Ecclesiasticam, ac præcipue in Academiam Argentinensem tempore Reformationis merita, siquidem is A. 1537. Argentoraratensis Academiæ prima jecerit fundamenta, classesque & studia in ea auctoritate Senatus, suasu *Jacobi Sturmii*, Al-

Alſaticæ nobilitatis ornamento præcipuo, dexterrime ordinaverit, adjutusque a *Wolfg. Fabritio Capitone*, *Martino Bucero*, *Caſp. Hedione*, *Jo. Sapido*, *Jac. Bedrotto*, *Petro Daſypodio* &c. ita ornaverit Scholam recens inſtitutam, ut alteras Athenas, alteramque Maſſiliam, Argentorati diceretur extruxiſſe, nec ceſſaverit, donec eam ad culmen Academiæ perduxiſſet A. C. 1566. Erat is ceteroquin per omnem Europam Vir celeberrimus, quique tot aliis curis & laboribus inclytus, ſibi favorem pariter atque amorem, Summorum ejus temporis Principum conciliavit, qui ſumma cum munificentia, ipſi dignitates nobilitatis, libertatisque privilegia, quin & annua quam multa ſtipendia offerebant; Inter quos, erant Imperatores, Carolus V. Ferdinandus I. & Maximilianus II. Reges Galliæ Franciſcus I. & Henricus II. Daniæ, Chriſtianus & Fridericus. Angliæ Eduardus VI. & Eliſabetha. Electores Saxoniæ Mauritius & Auguſtus, Palatinus Fridericus III. Principes porro domus Palatinæ, Saxoniæ, Brandenburgicæ, Haſſiacæ, Megapolitanæ, Holſaticæ & rel. Cum igitur maximos ita haberet reditus, tum horum tamen præcipuam vim conferebat in pauperum, exulum,

maxi-

maxime Gallorum Evangelicorum inopiam ſublevandam, adeo, ut ipſe non ſemel cum ſuis egere maluerit, quam communem cauſam deſerere. Obiit annorum ſatur annos 81. mens. 5. dies 2. natus A. 1589. cum Muſis Argentinenſibus per annos 51. præfuiſſet.

Eſt elegans in ejus effigiem M. *Georgii Calamini*, Sileſii in Ill. Schola Lincenſi Doctoris epigramma, quod cum vitæ Sturmianæ ſummam breviter exhibeat, hic liceat ex STRUVII Bibl. Antiq. 1706. 374. totum repetere.

Quis ſit hic effigie ſolers quem pictor adumbrat.
Vir dicam paucis; Sturmius *ille bonus.*
Sleida *dedit cunas, artes, animumque Minerva*
Eloquium Peitho, ſancta fidem Pietas.
Tres hoc Lovanium, *meſſes* Lutetia *ſeptem,*
Argentina *decem luſtra docente, ſtupet.*
Annorum decadas octo ſuperavit & annum;
Mors timet hunc: vitam quod dedit arte Scholis.
Poſtea, quem præſens coluit, mirabitur ætas.
Et nullo poterunt tempore ſcripta mori.
Quæ mihi vix paucis licuit comprendere, quando
Menſuram videas hunc ſuperare ſui.

Liber

Liber de SUPPOSITO. Cum hunc longè rariſſimum eſſe, nemo neget, adeo ut pauciſſimi illum oculis ſuis uſurpaverint. conf. Cl. VOGT. p. 558. hinc titulum integrum apponam:

„ Diſputatio de Suppoſito, in qua plu-
„ rima hactenus inaudita de Neſtorio tan-
„ quam Orthodoxo, & de Cyrillô Alex-
„ andrino, aliisque Epiſcopis Epheſi in
„ Synodum coactis tanquam hæreticis
„ demonſtrantur ut Soli Scripturæ Sa-
„ cræ infallibilitas aſſeratur. *Deus verax,*
„ *omnis homo mendax.* Rom. III. Fran-
„ cofurti a. 1645. „

Obſervandum quendam Virum doctum, qui ante me hujus exemplaris poſſeſſor fuit, non tantum præfixiſſe nomen Davidis DERODON Prof. Phil. Sed pro loco impreſſionis Francof. adſcripſiſſe *Arauſonii.* Conſtat enim. Derodonem illic etiam per aliquod tempus Philoſophiam tradidiſſe.

In averſa paginæ facie hæc verba, ex quibus de ſcopo Auctoris & argumento libri plenius judicari poteſt leguntur impreſſa.

Neſtorius Epiſt. ad Cyrillum.

Nomen hoc, Chriſtus, utramque naturam patibilem ſcilicet & impatibilem in unica perſona denotat; ut idem

Chri-

Christus impatibilis & patibilis concipi queat, impatibilis quidem secundum Divinitatem, patibilis verò secundum humanitatem.

Cyrillus Epist. 2. ad Successum.

In Christo duas naturas unitas asserimus: post unionem verò, adempta jam in duas divisione, unam esse credimus naturam Filii incarnati:

Sententia Autoris.

Ego unicam personam & duas naturas divinam & humanam unitas, ac realiter post unionem distinctas in Christo agnosco. Hactenus ille

Etsi autem non desint bene multi Theologi, qui Derodonem refutarunt, v. g. Francisc. TURRETTINUS in Theol. Elencht Loco XIII. Quæst. J. & Samuel MARESIUS, peculiari dissertatione, aliique; constat tamen Virum istum, quod ad rei cardinem attinet, à veritatis partibus stetisse, & se in arte ratiocinandi haud mediocriter fuisse exercitatum, ipso opere demonstrasse. Hinc factum, ut magni nominis Viri mitius de ejus instituto judicarent, inter quos eminet Joh. CROJUS, terribilis ille Danielis Heinsii antagonista, & Paulus Emestus JA-
BLONS-

BLONSKIUS, Theologus Francofurtanus Celeberrimus, in exercitatione Historico-Theologica de Nestorianismo. Imo ipse Salomo van TIL, quem orthodoxiæ constat fuisse tenacissimum, in Compendii Theologiæ revelatæ P. II. cap. 6. dicit: „ Sententia heterodoxa olim ventilata cernitur in erroribus oppositis, hinc Nestorio adscriptis illinc Eutychi (quanquam de Nestorio res non adeò evidens sit, ut insigni tractatu suppressò nomine ostendit Cl. Derodon.) „
Cæterum meam facio conjecturam Ven. VOGTII, existimantis, eruditos ex uno libro *de supposito* duos effinxisse, quorum alterum *Davidem Derodonem*, alterum *Ægidium Gaillardum* dicunt conscripsisse. Petrus BÆLIUS quidem ex quadam Epistola Samuelis Sorberii ad Gerh. Joh. Vossium, quæ extat edit. Amst. n. 448. p. 388. nobilem hunc Gallum, qui desertis Romanensium castris Protestantes secutus est, tanquam auctorem alicujus libri de Supposito citavit; Sed Sorberius, quem ille secutus est, hac de re non satis fuisse videtur edoctus, & nemo alius, quantum quidem scio, *Gaillardum* istius libri autorem nominat.
Maresius autem, qui Derodonem

impugnavit, suspicabatur, duos homines ad illius libri fabricam concurrisse, alterum Philosophum subtilem, sed qui dum subtilitati plus æquo indulget, minus vacat solidæ Veritati; alterum bene doctum in antiquorum & Patrum, quos vocavit lectione, sed qui videtur in illis sæpe sinistra sumere, quod dextra dabat ac vice-versa. Verum hæc mera fuit Maresii conjectura, nullo fundamine nixa.

Hoc autem minime ferendum erat, quod Derodon tanta animi contentione nigrum hæreseos theta & Cyrillo & Patribus Ephesinis præfigere voluerit, quos credibilius est, mentem Nestorii non fuisse per omnia assecutos.

De eo præter BÆLIUM in voc. *Rodon* & *Nestorius* plura dabit Magnificus Cancellarius PFAFFIUS in Hist. Thè. Lit. L. IV. p. 251. 252. M. H.

SURGENTIS (*Marci Antonii*) Tractatus, Præfecti prætorio, reliquorumque antiquorum magistratuum cum Vice Rege, aliisque Magistratib. nostri temporis comparationem continens; cum annot. *Mutii Surgentis*, Auct. Fratris. Neapoli 1602. fol. Lib. rarus in Bibl. Albin. p. 40.

SWAMMERDAM (*Joh.*) *Ephemeri vita*, ofte, *Historie van het vliegend*, *ende*

een dag levend Haft, *of Oeveraas*. Met figuren. Amfterd. 1675. 8. Eft libellus rariffimus.

SYLVII (*Andreæ*) *Synopfin Franco-Merovingicam* rariffimam, videmus citari in Parergis Gottingenfibus P. III. p. 155. Eft verò hæc *Andreæ Sylvii* Marcianenfis *Hiftoriæ Merovingicæ Synopfis*, cum continuatione Variorum, edita à *Raphaele de Beauchamps* cum notis, Duaci 1633. 2 Voll.

SYMONETÆ (*Bonifacii*) Doctoris ac Monafterii cornu abbatis de Chriftianæ fidei & Romanorum Pontificum perfecutionibus Opus. Bafil. 1509. fol. Dicitur in Catal. Bibl. Sarrazianæ p. 32. rariffimum & pro flor. 16: 10. fuit divenditum vid. Memorabil. Bibl. Drefd. T. II. p. 504.

SYMPHORIANI (*Bened. Curtii*) Arefta Amorum, cum erudita B. C. S. explanatione. Lugd. apud Gryphium 1533. 4. Liber fingularis & rariffimus.

SZEGEDINI Speculum Romanorum Pontificum, in quo decreta cum verbo Dei pugnantia, vitæ curfus, prodigia horrenda accurata brevitate depinguntur per Stephanum SZEGEDINUM, Pannonium, Ejusdem de Traditionibus Pontificiis quæftiones jucundæ in 8. Autor ifte à Turcis captus & miferrime tractatus obiit 1572. M. H.

TABOETII (*Jul.*) *Epistolæ Christianæ & familiares*. Lugd. 1561. 4. raræ dicuntur in Biblioth. Sarraz. p. 206.

TAFFINI (*Johannis*) Scripta varia circa finem seculi XVI. edita de *Incarnatione Filii Dei*, de *pædobaptismo*, de *officio, auctoritate & potestate magistratuum*, itemque de *juramento*: Porrò de *Poenitentia* & sim. sunt rarissima, Erat ipse *Taffinus* Antverpiensis Ecclesiæ Gallicanæ primò Pastor A. 1566. deinceps Concionator Aulicus Mauritii Principis Arausionensis, porrò Harlemensis, & denique Amstelodamensis Ecclesiæ Pastor Gallicus, qui annos natus 73. obiit Amsterodami A. 1602. Symbolum ejus erat: *A Dieu ta vie, en Dieu ta fin.* vid. BRANT. Histor. Reform. Belg. Tom. II. pag. 30.

TAULERI (*Joh.*) *des Heiligen Lehrers Predige*. Halberstadt 1523. fol. Hanc editionem operum Tauleri esse rarissimam, observat POIRETUS in Epistola *de Scriptoribus Mysticis* p. 556. qui & ipse Taulerum scripsisse idiomate veteri Germanico observat.

TAXA Cancellariæ Apostolicæ. De hoc libro videndus P. BÆLIUS in Dict. & Gisb. VOETIUS in Disput. Select. p. 2. p. 296. pluresque alii.

Titulus editionis, quam possideo ita se habet:

Numerus & tituli Cardinalium Archi-Episcoporum & Episcoporum Christianorum.

Taxæ & valor Beneficiorum regni Galliæ cum taxis Cancellariæ Apostolicæ &c. Parisiis apud Gervasium Alliot in Palatio juxta ædem D. Michaelis. 1625. in 12.

Libellus sacer & horribilis est, cujus omnes eos ex Pontificiis pudet, quibus nondum frons omnis est expudorata. Verba Claudii ESPENCÆI, Theologi Parisiensis, quibus hæc taxa acerrime perstringitur, exhibet HEIDEGG. in historia Papatus. p. m. 332. M. H.

TELESIUS (*Bern. Consentinus*) De his, quæ in Aere fiunt, Terræ Motibus, colorum generatione, Mari, & de rerum Natura juxta propria principia Neapoli 1570. 4. *Lib.* rarus in Bibl. Albini p. 131.

TELLEZII (*Balthasaris*) Historia Generalis Æthiopiæ superioris. Liber rarissimus. v. Thes. Epistol. Croz. T. II. p. 107.

TERSERI (*Jo. El.*) Catechismus A. 1663. 12. Lingua Suecica editus, rarissimus. vid. *Biblioth. Miscell. Hamb.* T. I. P. I. p. 169. sq.

TESTAMENTUM novum, Hiſpanicum v. DRYANDER.

THEAGRII (*Davidis Humii, Scoto-Britanni*) liber ſub. tit. *Apologia baſilica* ſeu Machiavelli ingenium examinatum in libro quem inſcripſit Principem &c. Paris 1626. 4. Liber rariſſimus teſte HARENBERGIO in Biblioth. Miſcell. Hamb. p. 568. T. III.

THEOPHYLACTUS in *Acta Apoſtolorum* Gr. & Lat. Colon. 1568. fol. Quanquam inter alia Theophylacti opera Latina hic commentarius ex Sifanii verſione facile ſit obvius; Græcam tamen editionem, quæ ex Jo. Sambuci Codice, cum verſione, notisque marginalibus Laurentii Sifanii prodiit, eſſe rariorem, Viri Docti obſervant. Additæ huic editioni conſpiciuntur Nyſſeni, Amphilochii, Cyrilli Hieroſol. & Timothei presb. Hieroſol. Homiliæ in occurſum Domini, & Nyſſeni Oratio de Deitate Filii & Spiritus S.

THEUPOLI (*Stephani*,) *Academicæ Contemplationes*, ita ſunt raræ ut quantum nobis conſtat à nullo Hiſtoriæ Philoſophicæ ſcriptore quoque commemorentur: Prodierunt eæ, Baſileæ per Conradum Waldkirch 1590. 8. ſub hoc titulo *Stephani Theupoli Bened. F. Patricii Veneti Academicarum Contemplatio-*

tionem Libri X. in quibus Plato explicatur, & Peripatetici refelluntur. Commisit hic errorem Auctor Lexici Eruditorum, p. 1486. ubi *Steph. Theupolus* appellatur *ein benedictiner, und Patricius von Venedig* &c. cum tamen ex libri titulo non constet, eum fuisse ex Monachorum Benedictorum familia, quin potius, ejus Patrem *Benedictum* fuisse appellatum, uti patruus ejus alterque parens, quomodo eundem appellat, in dedicatione libri, erat *Paulus Theupolus* Senator Venetus amplissimus, ac eques splendidissimus. Caeterum nec id praetermitti potest, BAILLETUM in Catalogo Scriptorum Personatorum p. 604. censere, (sed in quo fallitur,) Theupoli nomen esse fictitium, & sub ea larva latere *Franciscum Piccolomini.* vid. PLACCII Theatr. Pseudonymorum fol. 584. n. 2639. Acceptam ferimus hujus libri notitiam Cel. ENGELHARDTO nostro, qui eum possidet.

THOMÆ (*Pauli*) Engolismensis Poëmata Paris. 1617. in 8. Occurrunt hic Lutetiados libri V. Sylvarum libri II. Epigrammata. Icones, Sylva Sacra. Carmina hæc sunt elegantia.

Valde hunc autorem laudat Balzacius in Ep. 54. quæ est ad Scipionem Ju-

cundum edit. Kapp. p. 770. Quoniam etiam Hebraicis literis fuit ornatus, hinc ejus mentionem facit P. COLOMESIUS in Galliâ Orientali p. 183. 184. M. H.

THURII (*Mareschalli*) *Annales Herulorum & Vandalorum.* Liber longè rarissimus, teste *Joh.* HUBNERO in Thesaur. Epist. Croz. Tom. II. p. 283.

TOINARDI (*Nicolai*) Harmonia utriusque libri Maccabæorum v. *Exerc.* nostr. *Acad.* Lib. II. p. 268.

TOMASINI (*Joh. Phil.*) Bibliotheca Patavina Manuscripta. Uniti 1639. 4. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 104.

TONJOLÆ (*Johannis*) Basileæ & totius Orbis monumenta sepulcralia Basil 1661. 4. Opusculum rarius.

TORQUATI (*Ant.*) Prognosticon de eversione Europæ, de fide & moribus Æthiopum & Indorum; Legatio Magni Indorum Imperatoris Presbyteri Johannis, ad Emanuelem Lusitaniæ Regem A. 1513. & alia quædam Antv. 1552. 8. Lib. rar. in Bibl. Alb. p. 209.

TRICHETI (*Raphaëlis du Fresne*) Epistola de *Charondæ effigie in Catanensi nummo*, expressa. Paris. 1658. 8. Lib. rar. in Bibl. Albin. p. 176.

TRITHEMII (*Joh.*) Epistolæ &c. vid. obs. HEUM. in Miscell. nov. Lips. Tom. II. p. 109. sq.

TRUBER (*Primus*) vid. BIBLIA *Vandalica.*

TURNEBI (*Adriani*) *De Methodo* libellus, Paris. 1608. 8. Inter Scripta Turnebi, præter *Adverſaria*, rariſſimum hunc eſſe librum obſervat Cl. STRUVIUS Bibl. Ant. 1705. p. 280. qui ſimul breve ejus exhibet compendium;

VALERA (*Cypriani de*) Hiſpani, *Biblica Hiſpanica* lingua edita; *Expoſitio Inſtitutionum* religionis Chriſtianæ Joh. Calvini. *Catholicus Reformatus.* De *vita & Doctrina Pontificum.* De *Miſſa.* De falſis miraculis *Mariæ de la viſitation.* Sunt omnia rariora. De ipſo Auctore, qui propter Reformatam religionem Hiſpania extorris factus, in Anglia tutum ſub Eliſabetha Regina habuit receptaculum v. WOOD. Faſti Oxonienſes. pag. 96. Floruit circa A. 1590.

Inter VALLÆ (*Laurentii*) libros, qui medio ſeculo XV. floruit, curioſiſſimus eſt nec ubique obvius, quem ſcripſit de *Voluptate ac verò bono.* Ego illam habeo ejus editionem, quæ prodiit Baſileæ apud Andream Cartandrum. 1519. Unde patet, illum fervide ſententiam Epicuri de Summo Bonò defendiſſe. Ridicula quoque ſunt, quæ adfert Li-

bro III. Cap. 25. de Voluptate ſenſuum in cœleſtibus.

Hoc interim laudi ei ducitur, quod Herculeô labore barbariem profligare conatus eſt. At quoniam acri nimis utebatur ſtylo, qui nemini parcebat, in multorum odium incurrit. Quam formidandus autem fuerit Criticus, declaravit, qui hoc ei fecit Epigramma.

Nunc poſtquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Jupiter hunc cœli dignatus honore fuiſſet,
Cenſorem linguæ ſed timet ille ſuæ.
M. H.

Ejusdem Hiſtoriarum Ferdinandi Regis Arragoniæ Libri tres. Romæ 1520. Lib. rarus in Bibl. Albini p. 31.

VASCONCELLOS (*Jacobus Mendez de*) v. Reſendius. conf. *Memor. Bibl. Dreſd.* T. I. p. 255.

VECCHIETTI (*Hieronymi*) De *Anno primitivo* ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato & de ſacrorum temporum ratione. Aug. Vindelic. 1621. fol. Opus rariſſimum jam commemoravit Cl. VOGTIUS p. 600. Ejus operis hiſtoriam verò ERYTHR. in Pinacoth. enarrat p. m. 196. & SCHELH.

SCHELH. Am. liter. Tom. III. pag. 155—160.

VELII (*Casp. Ursini*) è Germanis Silesii, Poëmatum Libri V. ex inclyta Basilea apud Joh. Frobenium 1522. 4. sunt rariores.

Fuit is amicus Erasmi, qui ita jam A. 1516. in Ep. n 210. p. 190. *Mirum*, scribit *quam me ceperint hendecasyllabi Gasparis Velii. Tam erudita facilitate fluunt omnia ut facile deprehendas ingenii venam non elegantem esse modo, verum etiam divitem & benignam.*

Atque erat is prætereà Latinis Græcisque literis apprimè eruditus, quemque *Erasmus* in Ep. ad *Stanislaum* Episcopum *Olomucensem* n. 598. p. 669. ita describit: „Velius mihi factus est longè charior quam ante fuerat ex degu„statis ingenii monumentis, ob in„credibilem morum comitatem, quum „hoc fere genus hominum (poëtarum) „soleat alienius esse à sensu communi. „Visus est & multo felicior quam exi„stimaram. Primum ipse cultus mag„nificus ac nitidus, fortunam arguit „satis lautam. Deinde corporis spe„cies declarat, rara numinis indulgen„tia, ingenio felicissimo domicilium „æque felix contigisse„ conf. de eo HANKIUS de Silesiis indigenis.

Scrip-

Scripsit is quoque de Ferdinandi Regis rebus gestis tractatum, teste Erasmo in Epist. n. 1006. p. 1139.

VELSII (*Justi*) Hagani, *Epistolæ*, aliaque quædam scripta, & vocationis suæ rationem & totius Coloniensis negotii summam complectentia &c. MDLVII. Mense Septembri. 8. Sunt rariora.

—— *De humanæ vitæ recta ratione ac via*, seu, de *hominis Beatitudinibus*, Liber unus. Basil. per Joh. Oporinum 1554. 8. itidem raritatis notam habet.

Cæterum quam ipse Velsius primò quidem saniora docuerit, deinceps autem in paradoxa fuerit prolapsus, eaque quæ cum sana ratione conciliari nullo modo poterunt, edocet BRANTIUS in Histor. Reform. Belg. Vol. I. p. 629 630.

VELTRONII (*Ptolomæi*) *Statuta ordinis Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani* Romæ 1188. fol. Inter plures, qui ad Historiam Ordinis Johannitici faciunt Scriptores, librum hunc merito recenset Cel. STRUVIUS in Biblioth. Antiq. 1706. p. 224. rarissimum, à paucis allegatum, vix ab uno vel altero visum. Titulum equidem singularem liber non habet, sed figura libro præmissa angelos sistit coram throno Majestatis divinæ tripudiantes, hac addita in-

inscriptione: *Effigies Magistrorum Hospitalis:* Insequens titulus est: *Index materiarum, quæ in toto volumine continentur*, & versa pagina reperitur index materiarum, sive, ut scribitur materierum, ordine alphabetico. Fuit ipse *Veltronius*, cujus nomen vix alibi legitur, Eques Johanniticus. Conf. STRUV. loc. cit. qui excerptum hujus libri exhibet.

VERELII (*Olai*) notæ in Ep. defensoriam Viri Cl. Joh. Schefferi &c. v *Bibl. miscell. Hamb.* Tom. II. p. 155.

VERGERII (*Petri Pauli*) Scripta omnia esse rarissima jam ex *Bælio* observavit VOGTIUS p. 602. Interea tamen, inter ea singulari modo raritatis laudem habere observat hæc duo: Alterum sub titulo: *Epitome contra Leandrum Albertum Monachum Dominicanum, ejusque mendacia quæ ille scripsit in libro cui titulus, Descriptio Italiæ.* Alterum; *De Epistolis Italicè scriptis à Claudio Ptolemæo.* Quorum duorum scriptorum singulari desiderio se teneri idem observat l. c. *Bælius.* T. IV. fol. 434.

—— libellus Italicus qui A. 1555. 8. prodiit hoc titulo: *Giudicio* sopra le lettere di tredeci huomini illustri publicate *da M. Dionigi* Atanagi & stampate in Venetia nell' anno 1554. est liber raro obvius. v. SCHELHORN. Amœn.

Amœn. Hiſtor. Eccleſ. & Liter. T. II. p. 78.

VIETÆ (*Franciſci*) perinſignis Mathematici & Mathematicorum ſui temporis coryphæi Pictavienſis in Gallia, circa finem ſeculi XVI. florentis atque A. 1603. demortui, ſcripta omnia perinſignis ſunt raritatis, quod ea propriis ut plurimum ſumtibus excudi fecit Auctor atque inter amicos ſolummodò diſtribuit. Inter ea, eſt *Continuatio Algebræ proportionalis*, quam *acutiſſimum opus* vocat Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum pag. 62. 63. itemque *Relatio Kalendarii verè Gregoriani* ad Eccleſiaſticos Doctores Pontifici Max. Clementi VIII. exhibita. 1600. Præterea edidit *Canones in Kalendarium Gregorianum perpetuum*; Atque *adverſus Chriſtophorum Clavium explicationem* emiſit; de quo libello ultimo memorabilia ſunt Jac. GILLOTI in Epiſtola ad Joſeph. Scaligerum verba in Revii Epiſtolis L. I. p. 93. *Defunct Mr. Viette à faict un livre contre CLAVIUS grand Mathematicien des Loyolites par lequel il le convainct d' ignorance craſſe en cette ſcience. . . . . . . Je ſuis apres à faire que nous en puiſſions avoir un exemplaire mais l'heritier a tout retirè par devers luy, & ſe rend fort inexorable à en faire part.*

part. Cæterum de Vieta, & controversia hac, conferri debent, ea quæ habet *Jac. Aug.* THUANUS Vir summus, Historiarum. lib. CXXIX. Conf. G. J. VOSS. de Mathesi cap. XLII. §. 17. p. 142.

VILLERII (*Petri Lozelerii*) Viri Eximii, atque Theologi præclari, Scripta plerunque Ανωνυμως edita auro contra sunt cariora. Erat *Petrus de Loyseleur* Eques, dominus de Villiers & Westhoven, ordinario dictus Petrus Villerius GULIELMO I. Arausiaco, Felicis Memoriæ, (quem merito Sospitatorem suum à Jugo Hispanico & Tyrannide Pontificia, celebrat Ecclesia pariter ac Respublica Belgica,) à concionibus & consiliis sacris, eumque à prudentia, eruditione, fide, eloquentia & singulari moderatione laudat BRANTIUS in Histor. Ref. Belg. T. I. p. 665. 666. GROTIUS in Annalib. Lit. III. p. 71. eum *Hominem* appellat *Gallum*, *qui subactum rebus forensibus ingenium, ad religionem docendam, & hinc ad intima Arausionensis consilia transtulerat.*

Extat ejus stilo scriptus libellus *Apologeticus Arausionensis Principis* adversus Edictum Regis Hispaniarum, quo is Arausionensem proscripserat A. 1581. Latinè, Gallicè, ac Belgicè, editus.

Dein-

Deinceps, & ab eo consignatus est Liber rarissimus, cui titulus: *Apologeticon Belgarum contra librum Concordiæ Bergensium a)*, quem jam antehac Latinè, atque etiam Belgicè editum, deinceps denuo publicavit atque notis, quibus primordia Reformationis in Belgio continentur instruxit *Ludovicus de* RENESSE, quanquam vel sic inter rariores libros reputetur. vid. Sal. v. TILL. Bibl. Select. pag. 41.

Extat ejus quoque Scriptum itidem rarò obvium, sub titulo, *Ratio ineundæ concordiæ inter Ecclesias Reformatas*; sive, *quibus modis occurri possit mirificis artibus, quibus Pontificii per quosdam imprudentes Theologos universas Christi ecclesias, potissimum autem & primum Germanicas pessundare conantur* 1579. 4. Litteræ C. Q. D. A. quibus auctor designatur, notant C. Cepham sive *Petrum* Q. pro C. vel K. (more antiquo) primam literam vocabuli Κῴδιον, quod *Vellus* significat. D. A. *Doctorem Aulicum.* Multa ex hoc libello excerpit Brantius libro cit. pag. 283. sq. qui & de

a) Hujus Scripti A. 1579. promulgati, breve compendium nobis sistitur in *Davidis* BLONDELLI libro, cui titulus *Actes authentiques des Eglises Reformées* pag. 69. 70. 71.

de ipso illustri Auctore multa nobis suppeditat p. 781. 782. singularia. Obiit is diem supremum A. 1593.

VORSTII (*Conradi*) labores *in omnes Epistolas Apostolicas* raritate sua destituti non sunt, etsi hæc non sit tanta, quanta libri ejus *de Deo.* Interim etsi quod nemo negat, Socini seminibus gravidum habuerit pectus, labores ejus exegetici non sunt spernendi, cum judice Cel. TILLIO plus accesserit, quam alii, ad restringendum scopum Epistolarum ex occasione temporis. M. H.

VOSSII (*Gerhardi*) fermè omnia sunt rariora atque ut plurimum Romæ edita. v. Bibl. Alb. pag. 147. num. 1204. & n. 1294. & pag. 43. n. 31. ubi Ephraemi Syri operum versio per ipsum procurata inter rariores libros connumeratur. v. ERYTH. Pinac. II. pag. 125.

VOSSII (*Gerh. Joh.*) libellus, cui titulus: *Consilium Gregorio XV. exhibitum per* Mich. Lonigum *de adhortando Bavariæ Ducem ad petendam Electoratus confirmationem à sede Apostolica cum præfatione & censura G. I. V.* Leyd. 1623. 4. est rarissimus v. COLOMES. Opp. pag. 802. & VOGT. Catal. tit. Consilium. p. 204. Legitur verò is insertus Operum Vossii Tomo IV.

URCEI (*Antonii*) qui & CODRUS poſtea dictus eſt, *Opera omnia*, ubi Sermones ſeu Orationes XV. Epiſtolæ in quibus multa Poëtarum & Oratorum loca explanantur; *Sylvæ*, ubi varia eruditio elucet, Satyræ, Eclogæ, Epigrammata. Venet. 1506. fol. Paris. 1515. & Baſileæ 1540. 4. Liber admodum rarus & quem vix reperias, in *Biblioth. Sarraziana* dicitur p. 195.

URSINUS (*Henricus*) Doctum ſed hodie rarius obvium edidiſſe librum de *Zoroaſtre*, *Hermete Triſmegiſto* & *Sanchuniathone*, Norimb. 1661. 8. dicitur Doctiſſimo BRUCKERO in Hiſtor. Crit. Philoſ. T. I. p. 116. not. 1.

URSINI (*Joachimi*) *Hiſpanicæ inquiſitionis & carnificinæ ſecretiora*, inter rariſſimos libros recenſeri meretur, quique in inſtructiſſimis quoque bibliothecis vix reperitur. Devenit is ad me ex Bibliotheca *Fabriciana* Hamburgi divendita. Eſt libri titulus hic: *Hiſpanicæ inquiſitionis & carnificinæ ſecretiora, ubi præter illius originem, progreſſus tyrannicus in fidelium religionis reformatæ confeſſorum, comprehenſione: Bonorum ſequeſtratione: Audientiis varii generis: Teſtium publicatione & confutatione: Artibus inquirendi aliis etiam ſecretioribus: Captivorum victu & reliquis ſubſidiis:*

Car-

Carcerum viſitatione: ſententiarum denique publicatione & interpretatione deſcribitur. Exemplis illuſtrioribus tum Martyrum, tum Articulorum & Regularum Inquiſitoaiarum, in fine adjectis, per JOACHIMUM URSINUM Anti-Jeſuitam, *De Jeſuitis, qui Inquiſitionem Hiſpanicam in Germaniam & Bohemiam vicinam introducere moliuntur, præfantem.* Ambergæ 1611. 8. Quis hujus Libri ſit Editor genuinus, diſquiritur inter viros doctos, cum auctor primarius ſit, uti præfatio indicat, *Reginaldus GONSALVIUS Montanus Hiſpanus*, cujus uſque ad pag. 270. ſunt omnia, cum deinceps paucula quædam alia adjecerit editor, ſub Urſini nomine delitescens; Enimverò fuerunt, qui INNOCENTIUM GENTILETUM Virum noſtræ religioni addictiſſimum, & aliis adverſus Pontificios editis ſcriptis clarum, ſub hoc nomine latere autument, de quibus PLACCIUS in Theatro Pſeudonymorum diſſerit fol. 612. b. conf. BÆL. in Lex. Tom. II. voce GENTILET. Prodierunt ceteroquin ſub hoc JOACHIMI URSINI nomine alia quoque a PLACCIO & BÆLIO ll. cc. commemorata ſcripta, jam non enumeranda. Non defuerunt autem, qui CHRISTIANUM BEC-

MANNUM ſub URSINI nomine latitare judicarunt. Sed hos omnes ratio fallit, cum ſemet ipſum à Gentileto, cujus Examen Concilii Tridentini, ſub titulo *Concilii Tridentini hiſtorica narratio & nullitas*, denuò edidit Urſinus, Amberg. 1615. 8. diſerte diſtinguat ipſe in præfatione ejus editionis; Atque jam à Doctiſſ. ZELTNERO in Hiſtor. Crypto-ſocinismi pag. 260. eſt annotatum, verum *Urſini* nomen fuiſſe *Beer* ſive (uti accuratius de eo diſputat, Doctiſſ. FEURLINUS Theologus Gottinganus) *Joach. Beringer* Scholæ Ambergenſis Conrector & Eccleſiæ Paſtor, Reformatæ religioni addictus atque circa Ann. 1610—1620. florens. vid. FEUERL. Relat. de Joach. Urſino ſive Beringer. inſert. *Biblioth. miſcellæ Hamburgenſi* Tom. III. p. I. p. 1—16.

WAKII (*Wilh.*) Refutatio Epiſcopi Meldenſis Boſſueti Lond. 1686. 4. edita eſt rarior: Libri titulus Ling. Anglic. conſcriptus hic eſt: *An expoſition of the doctrine of the church of Engeland in the ſeveral Articles propoſed by Monſieur de Meaux, late Biſhop of Condom, in his Expoſition of the doctrine of the Catholick Church.* Et paginas 118. complectitur. Accedit duplex ejus libelli

belli defensio sub tit. *A Defense of the Exposition* &c. quæ pag. 198. complectitur, & *A Second Defense of the Exposition* &c. quæ pag. 210 habet. Præstantissima huic libro, quem CROZIUS recensuit in *Biblioth. Universali.* Tom. XI. p. II. p. 439. & sqq. ab Illustrissimo Archiepiscopo Cantuariensi ante paucos annos defuncto, Præfatio est præfixa, in qua omnia plane arcana, quæ ad Historiam *Expositionis fidei* a Bossueto editæ pertinent, quæque nuspiam alibi tam dilucide exposita inveneris, lectori communicantur. Habetur vero etiam in ipso libro p. 127. elegantissima tractatio Historico-dogmatica *de Epistola Chrysostomi ad Cæsarium.* Conf. MAICHEL. de *Biblioth. Parisiensib.* p. 233.

WEISSENBERGII (*Wolfgangi*) Academiæ Basileensis Mathematici *Descriptio terræ sanctæ*, juxta ordinem Alphabeti Argentorati apud Wendelinum Rihelium 1536. fol. est rarissima, atque laudata *Andreæ* MASIO in ejus *ad Josuam Commentario.* Est ea junctim, cum ipsa *Ziegleri* terræ sanctæ descriptione deinceps commemoranda, impressa, cum illa in titulo inscriptione, quod *ea ad Scripturam proximè sit directa, & utilissima etiam plebejo lectori.*

WESENBEEC (*Jacques de*) *La description de l'Estat succes & occurrences, advenues au Pais bas au faict de la Religion. Le premier livre, contenant la narration des Affaires, succedees alendroict la Religion, depuis l'an* 1500. *& signamment depuis que le Roy Philippe le* 2. *en a este Prince: aussi comment apres grandes difficultes la mutacion en Religion soit illecq l'an* 1566. *manifestee & finablement tolleree & admise, avec la plus ample declaration de ce que audict Paisbas en icelle Annee est advenu. Imprime en Aougst* 1569. 8. Est is libellus, equidem non adjecto auctoris nomine editus, eo ipso tempore lingua Gallica conscriptus atque simul in Belgicum idioma transfusus sub tit. *de beschryvinge van de geschiedenissen in der religie saken toegedragen in den Nederlanden* &c. 8. Sed ita tamen ut A. 1616. de novo in linguam Belgicam translatus prodierit in urbe Bredana forma quarta, sub hoc titulo: *Beschryving van den Staat en voortgang der Religie in Nederlant enz. beschreven in't Franchois, door Mr. Jacob van Wesenbeek, Raed en Pensionaris der Stadt van Antwerpen, ende nu in onze Nederlandtsche tale overgezet door een Liefhebber dèr waerheit*, tot Breda gedrukt by Jsaac Schilders 1616. 4. Fuit Auctor hujus Operis

ris rarissimi, civitatis Antverpiensis eo tempore consiliarius atque Syndicus, ut is earum rerum, quippe quarum magna pars fuerat, esset callentissimus; Scripsit deinceps hunc ipsum libellum non alio fine, quam ut de gravissimis iis in religione mutationibus informarentur, cum qui tum vivebant; tum verò etiam cumprimis posteri. Nec quicquam deinceps, quam quod publicè & apud omnes constaret, atque imprimis quod in Urbe Antverpiensi, cujus res propius ipsi perspectæ erant, & cujus is, quod THUANUS quoque testatur Histor. Lib. XL. fol 520. cf. p. 529. ad ipsum Hispaniæ Regem A. 1563. fuerat Legatus, circa religionem gestum erat, is describit, suaque omnia genuinis, atque ab ipso in rei memoriam conservatis documentis illustrat atque corroborat.

WICELII (*Georgii*) *Epistolarum, quæ inter aliquot centurias videbantur partim profuturæ Theologicarum literarum studiosis, partim innocentis famam adversus sycophantiam defensura Libri quatuor.* Lipſ. excudebat Nicolaus Wolrab. 1537. 4. sunt rarissimi, propter eorum temporum historiam, ipso teste Cl. SCHELHORNIO in Amœnit. T. XI. p. 32. Erat GE. WICELIUS acerrimus *Lu-*

theri hoſtis ex diſcipulo factus, quanquam ceteroquin eruditione eſſet celebris; Receſſerat autem circa annum 1531. a Lutheri partibus ad Romanas, teſte SECKENDORFIO Hiſt. Luth. Lib. III. fol. 65. vana quadam opinione duc-„tus *a*), & bonorum operum ſtudium „ab Evangelicis frigidius juſto urgeri, „& ſine ſchismate religionem atque Ec-„cleſiæ Οικονομιαν ad auream illam pris-„cam faciem reduci poſſe; „ uti is inde ab eo tempore, quanquam nec Pontifi-

ciis

a) Aliquanto tamen moderatius de Wicelio, fert judicium Herm. CONRING. in Ep. ad Boineburgium A. 1653. hunc in modum.

„Expertus ſum auctorem, qualem alibi „ſemper, rigidum utriusque partis cenſorem, „& ſtudioſum pariter Eccleſiaſticæ cum pacis, „tum emendationis ad faciem & leges primo-„rum temporum. Credidit ſcil. vir optimus, „& reduci illam poſſe, ſchismate nullo facto „ab Eccleſia Romana ad priſcos illos & ſanc-„tos mores, initio quadam facta ſibi expec-„tatione à Concilio Tridentino, qua tandem „fruſtratus, ſpe nova concepta à Cæſare Fer-„dinando & Maximiliano. Quodſi per æta-„tem licuiſſet experiri, quam & illa ſpes fo-„ret inanis, indubie tandem & ipſe maluiſſet „emendationem cum ſchismate quærere, „quam ſubdolæ pacis ſpecie relinquere Ec-„cleſiam vitiis ſuis immerſam.„

Cæterum & G. *Wicelii via regia*, quod magnæ ſit raritatis, ad tit. CONRINGII jam à nobis eſt obſervatum.

ciis admodum eſſet gratus, adverſus Lutherum & ejus aſſeclas graviter cauſam inſtruxit, quod ex variis ejus libellis colligitur, qui ſimul tamen etiam teſtantur, quam deſperata fuerit tum temporis Papatus cauſa; Sunt eorum quamplurimi recenſiti in *Biblioth. Cyprianica* p. 248. 249.

WIGANDI (*Johannis*) *de Neutralibus & Mediis libellus utilis & neceſſarius.* Francofurti ex officina Petri Brubachii MDLX. 8. Cum Cl. Vogtius ejus libellum *de Servetianiſmo* inter raros connumeraverit, præeunte REIMMANNO Bibl. Reimm. p. 1044. Tum ſane maximo jure hunc ipſum libellum *de Neutralibus* eidem jungimus, itemque alterum libellum cui titulus: *De clave ligante in Eccleſia Chriſti, de ſuſpenſione a Sacramentis ad tempus, de reconciliatione offenſæ Eccleſiæ, Explicatio ſuccincta & ſolida ex verbo Dei, Authore* Johanne Wigando, Francof. ad Moen, excudebat Petrus Brubachius A. MDLXI. 8. Prioris libelli argumentum eo potiſſimum tendit, ut omni Religionum *Indifferentiſmo* obicem ponat, & cumprimis illi ſententiæ, quæ, cum motus Interimiſtici Germaniam turbarent, ſtatuebat, deciſionem articulorum v. g. inter Pontificios & Proteſtantes contro-

versorum, per Generale Concilium expectari debere, atque interea *Neutrum* vel *Medium* esse quenquam posse, salva conscientia, nervum plane incidat, variis adductis argumentis, variisque responsionibus additis, tam ad objectiones Neutralistarum, quam ad argumenta ita dictorum *Mediorum*. Posterioris argumentum ex ipso titulo propius conspicitur: Uterque libellus diffuse recensetur á Cel. STRUVIO in Biblioth. Antiq. Anni 1705. p. 49-59. & Anni 1705. p. 51-62. qui simul quoque loco priori brevem WIGANDI qui natus 1523. denatus 1587. inter sui temporis Theologos Lutheranos eminuit, texit biographiam.

Exstat ceteroquin ejusdem WIGANDI, quoque *admonitio de bonis & malis Germaniæ* 1566. 8. in qua permulta ad illustrandam Historiam seculi XVI. Ecclesiasticam reperiuntur, ita tamen ut simul infestus ejus erga Evangelico-Reformatos animus elucescat, atque ingenium in alendis & de novo incrustandis controversiis admodum acre.

WIMPFELINGII (*Jacobi*) gravissimi morum illo tempore censoris Opuscula, quæ nascentis Seculi XVI. mores belle depingunt, sunt rarissima omnia. In his illa sunt quæ à Doctiss. HARDTIO

TIO in Præfat. ad Tom. I. Autogr. Lutheri p. 29. 30. 31. adducuntur. Itemque *Epitome rerum Germanicarum, hactenus a multis desiderata.* Marpurgi apud Andream Colbium 1562. 8. Breviarium hoc est Historiæ Germanicæ rarissimum, quod omnia quidem non continet, habet tamen quædam singularia. Excerptum ejus nobis dedit. Cel. STRUVIUS in Bibl. Antiq. 1705. pag. 237. Erat Auctor Selestadiensis natus 1449. denatus 1528. inter eos qui Reformationis necessitatem agnoscebant, quique in variis pro illorum temporum more Academiis cum Theologia scientiam Juris combinaverat. Ecclesiastes primo *Spirensis*, deinceps Professor *Heidelbergensis*, ubi loco Theologiæ Scholasticæ perpetuo S. literas, & quandoque Hieronymum interpretabatur, varios nactus discipulos egregios, & cumprimis familiam Electoralem, monachorum inscitiam & arrogantiam cum ferre non posset, hæreseos est accusatus, a monachis Augustinianis apud *Julium* II. Papam, quod scripsisset, *Augustinum non fuisse monachum*, aut certe *non talem*, *quales jam habentur Augustiniani*, *neque ordinis dicti habitum tulisse*, *nec etiam Gregorium M. Alcuinum*, *& Bedam fuisse monachos &c.*
Ab-

Abſolutus tamen, arbitris ipſi datis, *Conrado Peutingero* & *Jacobo Spiegelio*, auctoritate Julii II. Pontificis maximi. Poſt inchoatam a Luthero reformationem, ſchisma Eccleſiæ invectum dolens, à Profeſſoratu Heidelbergenſi ſe abdicavit, & Seleſtadii vitam egit precibus & piis meditationibus occupatus otioſam, donec naturæ debitum ſolveret pene octogenarius;

Exſtat præterea ejus *Stilpho*, ſcriptio in homines ſui ſeculi vehementiſſime ſalſa, imo mordax, & digna profecto luce publica.

Illi quoque debentur Centum *Gravamina Germanorum contra Curiam Romanam*, quæ Maximilianus in publico propoſuit;

Itemque: *Collectanea pro reformatione ex prioribus temporibus Wilhelmi Pariſienſis, Henrici de Haſſia* &c.

Prouti in Bibliotheca Cyprianica pag. 240. commemoratur *Pragmaticæ Sanctionis medulla excerpta jubente divo Maximil.* Seleſtadii 1520. 4. Atque de eo opere dicitur, quod in libertatis Eccleſiarum Germ. tuitione magni ſit momenti, quodque a *Wimphelingo* noſtro A. 1510. in ordinem ſit redactum, miſſumque Cæſari.

WIN-

WINSEMII (*Pierii*) de ſtatu unitarum Provinciarum Oratio. Leov. 1618. in 4.

Hæc Oratio facundiſſimi Winſemii quæ rarò obvia eſt, cum inſigni cum libertate notet Eccleſiæ imprimis Belgicæ nævos tempore Remonſtrantium, lectu digniſſima eſt. M. H.

WITTEKINDI (*Anonymi*) liber de Joanna Papiſſa. Ejus hic eſt titulus: Jeſuitas, ſingulares SS. Pontificiæ, Majeſtatis hoc tempore vindices falſo & fruſtra negare, Papam Joannem VIII. fuiſſe mulierem. Editio altera non ſine auctario a. 1598. in 4. absque indicio loci. Conſpicitur ſimul hiſtoria hujus puiſpeni ligno inciſa.

Autor in ipſo limine vehementer aggreditur Jeſuitas quos Eſavitas vocat & inter alia dicit; Non inepte quidam noſtras Princeps ſuo more ludens dixit: „Jeſuitas ſimiles eſſe pediculis iſtis, quos „à parte corporis, quam infeſtare ſolent, „inguinales dicimus, quorum vel ex uno „ibi primum inſidente, brevi innumera „propagatur & ſcaturit multitudo.„

Conf. de Autore, quæ habet perſonatus *Irenæus Bibliophilus*, id eſt V. C. Jac. Frid. BEISCHLAGIUS in obſervationibus eruditis, quæ comparent in Bibl. Brem. Claſſ. VII. Faſc. V. ubi V. C. Theod. HASÆUS annotavit,

vit, se bina libelli hujus possidere exempla, in quorum utroque vetusta manus adscripserit: Auctore Hermanno WITTEKINDO, Westphalo, Mathematices Professore in Acad. Heidelb. Ord. Clariss. autem SCHELHORNIUS, Amicus noster honoratissimus in Amœn. Lit. T. X. p. 1167. Cl. BEISCHLAGIUM certiorem reddidit, quod exemplum hujus libri manu antiqua, & fortassis prius, quam typis exprimeretur exaratum nuperrime in ipsius manus inciderit. In manus igitur idoneas venit, cum sciamus amœnissimi Virum ingenii scitum & diligentem veterum librorum esse spectatorem.

P. BÆLIUS, qui tamen passim in Dictionario Hist. Crit. Johannæ Papissæ facit mentionem, hunc librum nunquam oculis usurpasse videtur. Nisi enim admodum fallor nullam ejus facit mentionem.

Cæterum WITTEKINDUS ille, qui ejus autor fuisse perhibetur. Obiit a. 1603. posteaquam Græcas literas & Mathesin per 42. annos Heidelbergæ docuisset, semper mansit cœlebs, veritus, (uti KONIGIUS in Bibliotheca ait,) ne in caniculam incideret, quæ latratu suo perpetuas ei crearet molestias. Idem autor quædam ejus scripta com-

commemorat, inter quæ tamen hoc de Joanna Papiſſa teſtimonium non comparet. M. H.

WORMII (*Olai*) *Epiſtolæ Latinæ*, quæ Hafniæ prodierunt 1728. 8. adeò ſunt raræ, ut vix in ipſa Dania reperiatur qui eos poſſideat. Ratio eſt graviſſimum illud Incendium, quod eodem anno Hafnienſes infeſtabat, quo factum eſt, ut omnia antequam vel plenè adhuc impreſſa erant, deficiente ſcil. adhuc Titulo & Indice, exemplaria conflagraverint: Intereà Cl. J. Chr. WOLFIUS Hamburgenſis, quod earum habeat copiam patet ex *Bibl. Hamb. Miſcell.* Præfat ad Tom. I. p. 23.

ZANCHII (*Pauli*) Poëmata Romæ 1550. 8. Liber rarus in Bibl. Albini p. 212.

ZIEGLERI (*Jacobi*) *Terræ Sanctæ deſcriptio*, Argentorati 1532. & 1536. in fol. Quis & quantus vir, JACOBUS ZIEGLERUS fuerit exponit latè doctiſſ. SCHELHORNIUS in Amœnitat. Hiſtor. Eccleſ. & Literar. Tom. II. p. 210. & ſqq. Hujus libri rariſſimi, ipſique Clariſſ. HADRIANO RELANDO Palæſtinæ illuſtratæ conditori, ignoti, titulus ita ſe habet. *Syria, Ptolemaici operis rationem, præterea*

rea Strabone, Plinio, & Antonio auctoribus locupletata. Arabia Petræa, sive itinera filiorum Israël per desertum, iisdem auctoribus: præterea Joanne Leone Grammatico; secundum recentiorum locorum situm, illustrata. Schondia, tradita ab auctoribus, qui in ejus operis prologo memorantur. Holmiæ, civitatis regiæ Sueciæ, deplorabilis excidii per Christiernum Daciæ Cimbriæque regem historia &c. Unico enim volumine juncta hæc omnia opuscula prodierunt Argentorati MDXXXII. MDXXXVI. primum, atque iterum fol. titulo aliquantisper mutato, & adjecta Weissenburgii descriptione Terræ sanctæ &c. Dedicavit vero hanc operum suorum Syllogen Zieglerus, RENATÆ Ludovici XII. Gall. Regis filiæ, ac Ferrariæ Ducis Conjugi. Quam ita, dum alloquitur, celebrat: *Tibi Illustrissimæ Principi, quæ à Britanniæ unica domina Anna Matre, patre autem maximo Ludovico XII. Christianissimo Galliarum Rege nata es, quæ supra natalium claritudinem, præterea te ad omnem virtutem instituisti, religionem præter superstitionem, amplitudinem animi præter fastum, contemtum opum citrà profusionem, judicium contrà calumniam & assentationem confirmatum, quæ in aula virtus præcipua est, & in nullis etiam probatis principibus prope non desidera-*

derata, Fortuna utraque ferenda constantiam & virtutes eas quæ in fœmina peculiari jure requiruntur. Tibi, inquam tot virtutum titulis optimæ principi offero Palæstinam hanc. Adscribere juvat TEISSIERI in elogiis eruditorum virorum Thuan. P. I. p. 21. judicium de Zieglero nostro: *Il a donné au public la description de la Terre Sainte, qu 'il a fait avec plus d' exactitude que* Eusebe, *que* Beda, *que* Bacon, *que* Burchard, *&* *que* Breitenbach, *qui avoient travaille sur ce sujet, avant luy.* Intereà, minus favorabile de Ziegleriano hoc opere judicium ferre *Andream* MASIUM in suo ad Josuam Commentario, qui insertus est Bibliis Criticis & quidem ad Cap. X. 10. XV. 1. XVII. 7. XIX. 35. me docuit Cel. Heumannus in privatis ad me datis literis.

Est verò etiam præter ea quæ Schelhornius l. c. commemoravit scripta, tractatus Ziegleri nostri rarissimus, sub tit: *de Regionibus Septentrionalibus & Moluccis insulis.* Anverp. 1542. 8. quem in transcursu solum citatum videmus à Conr. Gesnero in ejus Biblioth. universali, ubi is dicitur *de rebus Indicis* quædam conscripsisse. Sed &, exeunte seculo XVI. in Pannonia Ziegleri hujus quoddam Opus esse excusum, me docuit,

ornatissimus quidam ex Hungaris meis Vir Juvenis Jos. DESIUS, cui, cum adhuc inter cives nostros versetur, tamen in ipsa jam patria raro exemplo cathedram obtulerunt philosophicam: Is verò, quum ipsi Schelhornii Amœnitates Historico-Eccles. perlustrandas communicassem, ita tum ad me: „Video, „ inter MSS. Ziegleri à Cel. Schelhornio l. c. p. 277. num. 7. & 8. duo „ commemorari Scripta *a*), priorisque „ stylum ab elegantia laudari. Ego „ rem secus se habere existimo. Possideo quippe librum mole spissum, seculo XVI. exeunte in Pannonia excusum, sub titulo: *Cataclysmus Europæus rerum Christianarum* &c. *Auctore Jacobo Zieglero, Theologo dum viveret Wiennensi celeberrimo*, in folio. „ Est liber in Patria, ante hos quatuor „ annos à me lectus, sed paucissimis „ quantum scio, notus. Novem constat centuriis, hæ sunt, vix ambigo, septem illæ quas *septimo* & duæ „ quas *octavo* paragrapho memorat „ Schelhornius. .... Plura, certio- „ ra-

a) Alterius titulus est: *Rei Christianæ infirmitas* &c. quod opus in septem centurias dispertitum refert Schelh. l. c. Alterius, *Directio summa rerum*, quem librum in duas centurias divisum refert, ibid.

„ raque ſcripturus eram, tum de edi-
„ tore, quo obſtetricante lucem liber
„ adſpexit, tum de titulis centuriarum,
„ tum de via, qua ſcriptum Ziegleri,
„ Patavii defuncti, in Pannoniam trans-
„ latum fuerit, iterumque in Germa-
„ niam relatum, niſi de pluribus exem-
„ plaribus cogitemus &ſim. ſi vel ad
„ manus eſſet, vel heri aut nudius ter-
„ tius liber evolutus..... Quod verò
„ ſtilum, quo liber conſcriptus eſt,
„ adtinet, elegans ſatis eſt, non tamen
„ noſtræ, verum iſtius ætatis, qua
„ Zieglerus vixit, ratione habita. Ni-
„ hil verò habet, quod me quidem ju-
„ dice Papismum ſpiret. Pauca, quæ
„ Lutheranismum. Plurima, quæ Re-
„ formatis faventem proximumque ar-
„ guunt auctorem. Quicquid hujus rei
„ ſit, hic ſanè, ſi uspiam hominis il-
„ lius Itali arcana, legiſſe me quondam
„ memini detecta.„

Supplementa.

BLANCANUS (*Joſephus*) de locis in Ariſtotele mathematicis. Bonon 1615. 4. Liber rarus. vid. BRUCKER. Hiſtor. Crit. Philoſ. Tom. I. p. 805.

BOXHORNII Monumenta illuſtrium virorum & elogia Amſtelod. 1638. fol.

Eſt is idem ille liber, quem pag. 97. ſub tit. FENDT Monumenta recenſuimus: Iſtis enim figuris quas Fendtius adornaverat, elogia addidit Boxhornius.

BURANÆ Opus in Ariſtotelem. conf. BRUCKER. Hiſtor. Crit. Philoſ. Tom. IV. P. I. p. 231.

BURLÆI (*Gualteri*) *Vitæ philoſophorum*. Liber ſub incunabula artis typographicæ typis impreſſus, rariſſimus, teſte Cl. BRUCKERO in Hiſt. Crit. Philoſ. T. I. p. 34. & Aug. BEYERO in Memor. libr. rarior. p. 68. Subſtitit ceteroquin viri labor intra conatum, conf. C. A. HEUMANNI Act. Philoſ. T. III. p. 182.

BURSII (*Adami*) *Logica Ciceronis Stoica*, libris 4. comprehenſa, atque Juſto Lipſio multum probata. Rarus eſt liber atque à multis fruſtrà quæſitus. De Auctore vid. STAROVOLSCII Εκατοντας Scriptor. Polonicor. n. 71. p. 87. 88.

BZOVII (*Abrah.*) *Pontifex Romanus*, ſeu, de præſtantia, officio, auctoritate, virtutibus, felicitate, rebusque præclarè geſtis Pontificnm à divo Petro usque ad Paulum V. commentarius Colon. 1619. fol. Eſt is liber reliquis Operibus Bzovianis rarior; quanquam is Paulo V. aduletur usque ad blasphemiam & ſorditiem.

CICHO-

CICHOKI (*Casparis*) Canonici & Parochi Sendomirienſis, *Anatomia Conſilii editi de ſtabilienda pace Regni Poloniæ Jeſuitis pulſis* &c. Cracov. 1611. 4. dicitur opus rarum in Memorabil. Biblioth. Dresd. Tom. II. p. 157.

CONFESSIO Hiſpanica, ſive potius, Hiſpanorum, propter Evangelicam profeſſionem patria extorrium, lingua Hiſpanica pariter atque etiam Germanica, edita, eſt raro obvia. Germanicam editionem Ambergæ 1611. 8. plagis quatuor cum dimid. procuravit *Joach. Urſinus* ſive *Beringer*, Scholæ Ambergenſis Rector, qui in Præf. docet A. 1601. librum hunc editum eſſe Hiſpanica ſimul lingua & Germanica, nunc autem edi ſolo ſermone Germanico.

COUSSORD (*Claudii*) annotationes in omnes pæne noſtri temporis hæreſes, maximè autem in Waldenſium errores Paris 1548. 8. Liber infrequens dicitur in Biblioth. Sarraz. pag. 17.

da CORIO (*Bernardino*) *Hiſtoria di Milano, con le vite de gli Imperadori.* Mediol. 1503. idib. Juliis. fol. Liber in ipſa Italia admodum rarus vid. Biblioth. Sarraz. pag. 115.

COSMOPOLITÆ (*Euſeb. Philad.*) de ejus dialogis vid. *Vogt.* in Catal. libr. rar. p. 458. Cæterum extat ejus quo-

que lingua Gallica tractatus ſub titulo. *Le Reveille-matin des François, & de leurs voiſins, par Euſebe Philadelphe Coſmopolite.* Edimbourg. 1574. 8. rarior.

FAGII (*Pauli*) Scripta omnia raritatis notam habere, aſſerit cum Cel. Kraftio im Jubel-Jahr p. 139. Theoph. Sincerus in nova collectione veterum & rariorum librorum p. 127.

FLAMINII (*M. Ant.*) Libellus Italicus ſub tit. *Due dialoghi. L'uno di Mercurio & Caronte: &c.* l'altro, *di Lattantio, & di uno Archidiacono* &c. rariſſime obvius. vid. SCHELH. Am. Hiſtor. Eccleſ. Tom. II. p. 50. 51.

FOLENGII (*Theophili*) Mantuani Satyricon Poëma, ſub nomine *Merlini Coccai Macaronica*, & jucundiſſimum & rariſſimum appellat Cl. BRUCKERUS Hiſt. Crit. Philoſ. T. III. p. 796. & T. IV. P. I. p. 182. cf. VOGT. Catal. lib. rar. p. 193. 194.

GAUDENTII (*Paganini*) libri omnes rariores ſunt, licet non accuratam eruditionem ubique referant vid. BRUCKER. Hiſt. Crit. Phil. T. IV. P. I. pag. 228.

GUIBERTI (*Nicolai*) Libellus *de vaſis veterum murrinis* longè eſt rariſſimus. vid. Jo. Frid. *Chriſtii* diſſertatio de iisdem. Lipſ. 1743. 4. edita p. 23. & 51.

H. H.

H. H. *Herwologia Anglica*; h. e. clarissimorum & doctissimorum aliquot Anglorum, qui floruerunt ab A. C. 1500—1620. vivæ effigies, vitæ & elogia. Duobus Tomis. Authore H. H. Anglo-Britanno. Impensis Crispini Passæi Calcographi & Jansonii Bibliopolæ Arnhemiensis fol. cum 67. figuris æneis. Auctorem hujus operis rarissimi nobis indigitat Auctor Memorabil. Biblioth. Dresd. T. II. p. 360. *Henricum* scilicet HOLLANDUM, ab alio quodam Pontificio Theologo ejus nominis sollicitè discernendum.

KERSSENBROEK &c. Addatur ad pag. 173. lin. sexta antepenultima: Neque tamen eundem hunc libellum, quem præ manibus habemus, sed alium quendam prosaico sermone scriptum, sub. tit. *Narratio de Obsidione Monasteriensi* &c. à Menkenio Tomo III. Scriptorum rerum Germanicarum insertum esse à pag. 1503. sq. rectè monuit auctor Memorabilium Bibliothecæ Dresdensis collect XII. p. 497.

MANDOSII (*Prosperi*) *Bibliotheca Romana*, seu Romanorum scriptorum centuriæ Rom. 1682. 4. 2 Volum. Liber optimus & rarus dicitur in Biblioth. Sarraz. p. 216.

MARCELLI (*Christophori*) Patricii Ve-

neti, Archiepiscopi Corcyræ, *de Authoritate summi Pontificis, & his quæ ad illam pertinent, adversus impia Martini Lutherii dogmata.* Florentiæ per Hæredes Philippi Juntæ A. 1521. 4. Hujus ipsius Auctoris *libros sacrarum ceremoniarum* recenset J. Vogt. pag. 372. Opus ejus *de anima* inter rariores refertur libros, ab Auctore Memorabilium Bibliothecæ Dresdensis T. I. p. 67. qui & Tom. II. p. 20. 21. hunc ipsum *de Pontificia auctoritate* librum rariorem recenset.

MENINSKI (*Francisci*) *Thesaurus & Grammatica Lingg. Orientall.* Viennæ 1680. fol. Brevem Operis hujus & splendidi & rari conspectum dant *Acta eruditorum* A. 1683. p. 362. conf. *Memorabil. Bibl. Dresd.* T. I. p. 465.

PASSERATII (*Joh.*) De Litterarum inter se cognatione ac permutatione Liber, omnibus studiosis bonarum scientiarum utilis & ad veram Auctorum veterum maximè Pandectarum Florent. lectionem indagandam necessarius. Paris. ap. Dav. Douceur 1606. 8. Est liber rariss. v. SCHELH. *Amœnit.* T. V. pag. 268. & *Memorabil. Bibl. Dresd.* T. II. p. 533. De eo ita Scaliger ad Carolum Labbeum: „ Accepi Passeratii „ libellum de cognatione literarum, „ ma-

„ magis utilem nobis quam autori glo„ riosum. Rari erunt, qui eo sciant „ uti. Nos quanti sit ex eo æstimare „ possumus, quod paucorum homi„ num est, & plures habebit qui non „ capiant, quam qui eo capiantur. Ego „ sane in censum bonorum eum dedico.„

PORTI (*Francisci*) Cretensis *Commentarii in Pindari Olympia*, *Pythia*, *Nemea*, *Isthmia*. Apud Jo. Sylvium Genev. 1583. 4. sunt rariores, editi post Patris mortem ab Æmilio Porto. vid. Memorabil. Bibl. Dresd. T. II. p. 469.

ROSINIS (*Celsi de*) Cæsenatis Th. Doctoris & Abbatis, *Lyceum Lateranense* illustrium Scriptorum Sacri Apostolici Ordinis Clericorum Canonicorum Regularium Lateranensis Elogia. Libris XX. Cæsenæ ex typographia Nerii 1649. fol. 2 Volum. Opus rarissimum. vid. Memorabil. Biblioth. Dresd. T. II. p. 350. sq.

RUDBEKII (*Olai*) Atlanticorum quarta cumprimis eaque ultima pars est longè rarissima vid. KOHL. nova litterar. anni 1741. p. 459. sq.

—— *Camporum Elysiorum* Partis primæ duo duntaxat sub sole esse exemplaria, observat, qui horum simul possessores indicat, KOHLIUS in nov. lit. anni 1743. pag. 9.

SARASA. Ad pag. 248. addatur: Posteaquam hæc typis jam erant expressa, non jam inter rariores libros, hoc præstantissimum *Sarasæ* opus recenseri debere, comperi, siquidem nova eaque locupletior editio cum præfatione *Joh. Petri Reuschii* Professoris Jenensis, prodierit Francof. & Lipsiæ 1741. 4. curâ *Joh. Christiani Fischeri*; Cum prior illa Editio, cujus mentionem feci, non in octava quam dicunt sed quarta forma prodiisset Antverpiæ 1664. atque Coloniæ Agrippinæ recusa esset 1676.

SCHENKELII *Memoria artificialis* à Cel. HEUM. in consp. reip. litterariæ p. 368. recensetur inter libros rariores.

SPERÆ (*Petri Angeli*) Pomaricani, Academici otiosi, *de Nobilitate Professorum Grammaticæ*, & Humanitatis utriusque linguæ libri V. Neapoli. 1641. 4. recensentur inter rariora Bibliothecæ Regiæ Dresd. monumenta. v. Memor. Bibl. Dresd. T. I. p. 490.

TILEMANNI (*Frisii*) perrarum eundemque bonum librum, cui titulus *Müntz-Spiegel*, copiosè recenset Cl. HEUMANNUS in *Histor. Gymnasii Gottingensis* cap. IV. §. 25. seqq.

F I N I S.